Articulorum XXXIX *Ecclesiæ Anglicanæ* DEFENSIO,

Unà cum Novâ eorundem versione.

Authore *Jo. Elis* S. T. D. Ecclesiæ Dôlgelleyensis in Comitatu *Merviniæ* Rectore.

His Accedunt

ARTICULI LAMBETHANI,

Unà Cum Rev. & Doct. virorum in eos Censurâ &c.

Editio secunda.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina *Johann. Hayes*, Celeberrimæ *Academiæ* Typographi. 1694.
Impensis *Hen. Dickinson*, Bibliopol. *Cantab.*
Et prostant Venales apud *S. Smith* Bibl. *Lond* ad Insignia *Principis* in Cœmeterio D. *Pauli*.

Imprimatur,

Geo. Oxenden. Procan.

Jo. Mountagu.

Jo. Beaumont.

Fr. Johnson.

BODLEIAN
2-10 180
LIBRARY

LECTORI.

PRodiit hic libellus Londini A. D. 1680. quem nunc ideò recusum damus, ut in manibus haberent Tyrones, præsertim Sacris ordinibus initiandi, succinctam ad argumenta, quibus impugnari solet Anglicana Confessio, Responsionem, & præcipuorum SS. Theologiæ Capitum Synopsin brevissimam.

Articulorum autem versio,

sio, quam novam præ se fert Titulus, Non est hujus editionis propria; quod monendum duximus, nequid Authori detractum, vel à nobis hîc elaborati aut exquisiti promissum videretur.

Arti-

Articulorum XXXIX. *Ecclesiæ Anglicanæ* DEFENSIO.

1. *De Fide in Sacrosanctam Trinitatem.*

UNUS tantùm est vivus, & verus Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, impassibilis, infinitæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis, creator atque conservator omnium, tùm visibilium tùm invisibilium; & in hujus Dei atis unitate tres sunt Personæ, ejusdem Substantiæ, potteniæ, ac æternitatis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Objicitur contra prædicta. 1. *Quòd sint dii multi,* 1 Cor. 8. 5.

2. *De Deo verba præteriti & futuri temporis dici, & proinde non esse æternum.*

3. *Sacras literas testari Deum habere oculos, manus, &c. atque idcirco non esse incorporeum.*

4. *Deum pœnituisse*, Gen. 6. 6. *& aliis passionibus fuisse subjectum.*

5. *Angelos inter opera Creationis à Mose non enumerari.*

6. *Objicitur, doctrinam de Sacro-Sancta Triade non esse veram, sed potius sibi ipsi contradictoriam, quia unus est Deus; ergo non tres; forent autem tres dii, si Pater esset Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus; qui dicit personam, duo dicit, essentiam & modum subsistendi.*

7. *Doctrinam de Trinitate personarum inferre in Deo compositionem; ubi est essentia & Persona, ibi est compositio ex natura, & supposito, seu ex communi, & singulari; atque ubi est res, & res, ibi est compositio; at in Deo est res & res, quia essentia est res & Persona res.*

8. *Ubi sunt unum, & tria entia, ibi esse quatuor; atqui in Deo esse*

unum

unum ens, & tria entia; Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres, & essentia nihil est horum.

9. *In essentiâ divinâ fore prius & posterius, si admittantur tres Personæ, & sic non erit summè simplex.*

10. *Doctrinam de Trinitate pugnare cum ratione, quia asseritur eandem numero essentiam esse totam in uno, & totam in tribus, quod impossibile videtur.*

11. *Doctrinam hanc introducere tria infinita, cùm non nisi unum esse potest.*

12. *Solum Patrem esse verum Deum*, Joh. 17. 3.

13. *Scripturam non uti his vocibus, Trinitas, Persona, procedere.*

Respondetur, 1. Non esse Deos multos secundum essentiam, sed secundum quorundam errorem dicentium Planetas esse Deos; vel secundum quandam similitudinem, ut Magistratus.

2. Talia verba dici de Deo, non quasi ipse vivatur per illa, sed quia æternitas ejus omnia tempora comprehendit.

3. Partes non attribui Deo secundum seipsas, sed secundum quandam similitudinem, & ratione actuum, sicut actus oculi est videre; unde oculus de Deo dictus, significat virtutem ejus ad videndum modo intelligibili, non sensibili; & simile est de aliis corporis partibus.

4. Pœnitentiam attribui Deo per ἀνθρωποπάθειαν, quia fecit aliquando ad modum pœnitentis, quoad effectum, non quoad affectum, & sic dicendum de aliis passionibus.

5. Creationem Angelorum in *Genesi* totidem verbis non legi, tamen ibi intelligi, & cap. 1. ver. 14. & cap. 2. 1. Illi sunt exercitus Coelorum: & Apostolus ad *Colossenses*, cap. 1. v. 16, 17. Deum esse creatorem omnium visibilium & invisibilium disertè affirmat.

6. Ex

6. Ex Trinitate Personarum in creatis infertur triplicitas essentiæ, non in divinis; quidicit Personam Sacrosanctæ Trinitatis, dicit unam essentiam Personis communem; at res creatæ quoniam finitæ, necesse est ut ipsarum Hypostases separatæ sint, ità Socrates, Plato, & Aristoteles, quamvis communi natione dicantur homines, non tamen sunt unus homo, sed tres; & quoniam in divinis essentia est infinita, ideircò tres Hypostases in ea subsistentes, etsi vere sint tres, non tamen sunt nisi unus Deus.

7. Non est in Deo conjunctio naturæ universalis & particularis, cum Deus sit essentia singularissima: ex natura, & suppositio in Deo non fit compositio, ut in rebus creatis, in quibus natura est res absoluta, & suppositum res absoluta, cum in Deo suppositum sit respectivum; relatio autem non componit, sed distinguit: imprimis in Deo, ubi relatio non differt realiter à

ſuo fundamento; ubi eſt res abſoluta, & res abſoluta, ibi eſt compoſitio; at in Deo eſſentia eſt abſoluta, ſed Perſona relativa; Perſonæ non differunt realiter eſſentialiter, ſed realiter ſuppoſitaliter, *i. e.* ſuppoſitis relativis.

8. Una in Deo eſt eſſentia, & tres Perſonæ ſunt tres modi ſubſiſtendi; modi autem non numerant rem, ſed numerantur in re, quia includunt ipſam rem, ut illa dici non poſſit diverſa ab ipſis, ſic ſi ſint tres gradus in lumine *v. g.* Lux matutina, meridiana, veſpertina, lumen non erit quartum quid reſpectu horum graduum, ſed hi gradus numerandi erunt in uno lumine.

9. Prius, & poſterius hîc datur non ratione eſſentiæ, ſed ratione modorum ſubſiſtendi; hoc autem dicitur prius analogicum, & ordinis Perſonalis enumerationis, cui opponitur prioritas temporis, & eſſentiæ; illa verò prioritas ordinis non ex-

excludit tò simul æternitatis; nam æternitas dicitur ratione essentiæ.

10. Essentia divina est una, & infinita, & sic est tota in una Persona & tota in tribus; non potest hoc diei impossibile, cum essentia animæ rationalis tota est in toto, & tota in qualibet parte; imago autem hujus rei hæc est, quod multi homines sint unus homo participatione speciei seu naturæ humanæ.

11. Unum est infinitum, *vid.* essentia divina; infinitudo ista non est proprietas personalis, sed essentialis; non sunt tres Dii infiniti, sed tres Personæ sunt una essentia infinita.

12. Cum solus Pater dicitur verus Deus, excluduntur numina ficticia, vel creaturæ: non Filius, & Spiritus Sanctus; vel solus Pater est Deus, qui habet filium omnipotentem.

13. Licet hæ voces, Trinitas, Personæ, non habeantur in Scripturis explicitè, habentur tamen quoad sensum & implicitè.

ARTICULUS 2.

De Verbo, seu Filio Dei, qui verus homo factus est.

Filius, qui est Verbum Patris, ab æterno à Patre genitus, verus, & æternus Deus, ejusdem cum Patre substantiæ, in utero Beatæ Virginis ex illius substantiâ naturam humanam assumsit, ità ut duæ integræ, & perfectæ naturæ, *vid.* Deitas & humanitas conjunctæ fuerunt in una Persona nunquam separandæ, ex quibus est unus Christus, verus homo & verus Deus, qui verè passus est, Crucifixus, mortuus & sepultus, ut Patrem nobis reconciliaret, esset que hostia non tantùm pro culpâ Originis, verum etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.

Objicitur, 1. *Quòd naturæ spirituali non convenit gignere; ergo Christus non est à Deo genitus.*

2. *Quod*

2. Quòd Christus non habet omnes perfectiones divinas; quia caret Paternitate, quæ est perfectio Patris; ergo non est Deus.

3. Quòd si Pater & Filius sint ejusdem essentiæ, tum Filio incarnato, Pater est incarnatus.

4. Quòd si æternus Dei Filius incarnatus sit, sequitur eum antea extitisse, & personam fuisse quàm incarnaretur; si hoc verum, quid illud est quod in utero Virginis conceptum & natum fuit? non Persona; jam enim essent duæ Personæ & duo Dei Filii; si Persona non est nata ex Virgine, quomodo homo dici meretur id, quod ex eâ natum est; cum homo nemo appellari possit, qui Personæ humanæ non sit; homo enim Personâ suâ & nullâ aliâ re homo est.

5. Deum misisse Filium non in carne verâ, sed in similitudine carnis peccati, Rom. 8. 3. & sic Christus non erit verus homo.

6. Christum & Melchisedecum assimilari, quòd uterque sit ἀπάτωρ καὶ ἀ-

μήτωρ. Heb. 7. 3. *& proinde Chriſtum non natum fuiſſe ex Virgine.*

7. *Deum non fuiſſe iratum generi humano, ſed ſummoperè amâſſe, filiumque è merâ charitate miſiſſe; quapropter non fuiſſe neceſſe, ut reconciliaretur nobis Pater.*

Reſp. 1. Non convenit naturæ ſpirituali gignere aliquid phyſicè, ut ſubſtantia corporea gignit ſubſtantiam ex ſe & extra ſe; ſed benè convenit metaphyſicè, ut mens Angelica vel humana gignit rationem, quæ eſt genimen mentis, & hyperphyſicè ſeu ſpiritualiſſimè, ut Perſona gignit Perſonam à ſe & in ſe, ſicut Pater Filium.

2. Chriſtus habet omnes perfectiones abſolutas communes tribus Perſonis, quod ſatis eſt, licet non Characteriſticas & relatas, quæ propriæ ſunt.

3. Tota Eſſentia divina eſt incarnata non abſolutè; ſed relatè, quatenus tota eſt in Filio, tota divinitas inchoativè egit opus Incarnationis,

non

non terminativè; hæc res illustratur simili; tres sorores texunt unam togam, quâ utitur secunda.

4. Individuum aliud est, quod per se subsistit, & rectè dicitur Persona; aliud, quod non subsistit per se, sed in alio, ut manus in corpore; & quia non per se subsistit, ideò Persona non dicitur, ita natura humana Christi nunquam per se, sed semper in λόγῳ subsitit, atque ideo nunquam fuit Persona.

5. Vera caro Christi vocata est similitudo carnis non simpliciter, sed carnis peccato obnoxiæ, non quòd similitudinem carnis Christus acceperit, quasi imaginem corporis, & non veritatem, sed similitudinem carnis peccatricis, quia Christus non erat peccator, licet peccatoribus similis.

6. Christus dicitur sine Patre & Matre, diversarum naturarum respectu, non simpliciter; sine Patre respectu humanæ naturæ, sine matre respectu divinæ.

7. Deus

7 Deus iratus fuit nobiscum, licet misit Filium; amavit nos ut creaturas, odit ut illius desertores; ira Dei excludit dilectionem Dei specialem, non generalem, quâ Deus creaturas, quâ creaturæ sunt, complectitur.

ARTICUL. 3.

De Descensu Christi ad inferos.

Sicut Christus pro nobis mortuus est, & sepultus, ita etiam credendum est, quod ad inferos descenderit.

Videtur quod non. 1. *Evangelistas qui minimas historia Christi circumstantias attigêre, ne verbulo feciſſe mentionem hujus descensûs.*

2. *Christum nec Deitate, quæ ubique; nec corpore, quod in Sepulchro; nec animâ, quæ in Paradiso fuit,* Luc. 23, 43. *in infernum descendisse.*

3. Chri-

3. *Chriſtum nec deſcendiſſe, ut victoriam oſtentaret; ſiquidem reſurrectio initium fuit triumphi; nec ut pateretur, quia in cruce dixit, Conſummatum eſt; nec, ut Patres è limbo liberaret, cùm limbus figmentum ſit.*

4. *Non decuiſſe, ut Chriſtus ſuâ præſentiâ dignaretur eos, qui ipſius gratiâ indigni, & æternùm damnati erant.*

Reſp. 1. Evangeliſtæ ea tantum de Chriſto referre voluerunt, quorum aut ipſi fuerunt oculati teſtes, aut ab aliis acceperant, qui id oculis uſurpâſſent; nemo vero mortalium vidit Chriſtum deſcendentem.

2. Potuit anima Chriſti eſſe unâ & eâdem die apud inferos & in Paradiſo; vel quidni dicamus totum Chriſtum morte jam ſuperatâ, & unione animæ & corporis reſtauratâ, in momento ad inferos potuiſſe deſcendere atque in momento redire potuiſſe? Et multa debemus nos credere quorum circumſtantias

&

& modum non possumus definire.

3. Resurrectio fuit initium triumphi nobis manifestati, non forsan absolute; nam Resurrectionem præcessit in infimas partes descensus, *Eph.* 4. 9. Locus hic realem Christi ad inferos descensum urgentissimè probare videtur, neque ulla, fatentibus adversariis, deprehenditur in hac sententia impietas, si dicatur, Christum apud inferos victoriam suam manifestam fecisse, & statim ad Paradisum, prout latroni promisit, ingressum fuisse.

4. Decuit Christum, atque, ad demonstrationem justitiæ & gloriæ suæ, æquum fuit, se victorem apud inferos exhibere, ut diabolis terrorem incuteret, & damnatis nequitiam & insipientiam Objectaret. Utcunque se res habeat, credamus nos Christum ad inferos descendisse, licet de sensu & modo non tam planè & plenè constet.

ARTI-

ARTICUL. 4.

De Christi Resurrectione.

CHristus verè à mortuis resurrexit, suumque corpus cum carne, ossibus, omnibusque ad perfectionem humanæ naturæ pertinentibus, recepit, cum quibus in cœlum ascendit, ibique residet, quoad extremo die ad judicandos omnes homines reversurus sit.

Videtur tamen quod Christus non potuit seipsum à mortuis resuscitare.

1. *Absurdum videri aliquem mortuum esse, & tamen seipsum in vitam revocare.*

2. *Scripturam resuscitationem Christi passim adscribere Deo Patri.* Rom. 6. 4.

3. *Quòd corpora post resurrectionem non sunt carnea & ossea, sed spiritualia,* 1 Cor. 15. 44. *quomodò ergo Christus corpus suum cum carne & ossibus recepit?*

4. Cor-

4. *Corpora carnea non esse immortalia, quia omnis caro est fœnum*, Esa. 4. 6.

5. *Carnem & sanguinem non posse possidere regnum Dei*, 1 Cor. 15. 50. *quomodò ergo Christus cum his in cœlum ascendit?*

6. *Christum à nobis non abesse usque ad judicium extremum; dixit discipulis, Ecce vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, Mat. 28. 20. *in viâ autem Damascenâ apparuit* Paulo, Act. 9. 17. *Atque in Castris nocte astitit eidem* Paulo, Act. 23. 11.

7. *Videtur, quòd Christus non judicabit omnes; nam qui credit non veniet in judicium*, Jo. 5. 24. *Princeps hujus mundi Diabolus jam judicatus est*, Jo. 16. 11. *atque etiam ille, qui non credit*, Jo. 3. 18.

Resp. 1. Absurdum planè est, merum hominem suâ virtute resurgere; sed Christus est Deus & homo.

2. Resurrectio ascribitur Patri, sed

sed non soli Patri; utrique attribuitur propter summam essentiæ unitatem; quæcunque Pater facit, eadem & Filius simpliciter facit.

3. Corpora post resurrectionem dicuntur spiritualia, non quoad substantiam & essentiam, sed quoad dotes & qualitates, erunt spiritibus similia, immortalia, & cibo potuque non egentia.

4. Omnis caro puri hominis est corruptibilis, & sicut fœnum; caro Christi talis non est; Propheta loquitur de communi & ordinaria mortalium conditione, non de glorioso salvatore, qui ipsissimus Deus est.

5. Apostolus loquitur de homine corrupto, & a vitiis per Christum non purgato, vel de carne nondum liberata a corruptione, quòd talis non possessura sit regnum Dei; corpus enim non potest cœlum subire, nisi deposita corruptione.

6. Christus loquitur de præsentia spirituali per gratiam, non de cor-

corporali per naturam; & quid si Christus pollicitus est discipulis se cum illis fore præsentiâ substantiali, si necessitas ita postularet? neque nos Christum ita affigimus cœlo, ac si non possit terris adesse, sicut fortasse extraordinariè apparuit *Paulo*, licet quam plurimi de visione mentali loco citato intelligant; attamen in cœlis ordinariè manet.

7, Qui credit, non veniet in judicium condemnationis sed absolutionis. Diaboli verò & qui non credunt, jam judicati sunt in Dei decreto, vel verbo Dei revelato, vel propriis conscientiis, & pœnæ inchoatione; sed postea judicabuntur, quoad judicii jam facti promulgationem & manifestationem, quoad pœnæ exasperationem, & quoad cruciatuum, tam corporis quam animæ, consummationem.

ARTI-

ARTICUL. 5.

De Spiritu Sancto.

SPiritus Sanctus à Patre & Filio procedens, ejusdem est cum Patre & Filio substantiæ, Majestatis & gloriæ, verus ac æternus Deus.

1. *Quamvis Spiritus veritatis à Patre procedat,* Jo. 15. 16. *videtur tamen quòd non procedit à filio, quia nusquam hoc dicitur in Sacris literis.*

2. *Spiritus sanctus non erat ab æterno:* Jo. 7. 39.

3. *Spiritus sanctus non est omnipræsens, quia mutat locum: Spiritus sanctus veniet super te, inquit Angelus ad Mariam.* Luc. 1. 35.

4. *Est virtus altissimi ibidem, ergo non est ipse altissimus.*

5. *Spiritus sanctus non est omniscius, quia non novit Patrem; sed solus Filius,* Mat. 11. 27. *ergo non est Deus.*

6. *Om-*

6. *Omnia sunt facta per Christum, ergo Spiritus sanctus; ideo non est Deus*, Jo. 1. 3.

7. *Qui orat Deum, non est Deus; at Spiritus sanctus orat Deum pro nobis.*

8. *Qui mittitur, est inferior mittente; at Spiritus sanctus mittitur à Patre; ergo non est ejusdem majestatis & gloriæ.*

Resp. 1. Licet non dicatur totidem verbis, Spiritum procedere à Filio; attamen reipsâ appellatur Spiritus Filii, *Gal.* 4. 6 & Christi Spiritus, *Rom.* 8. 9. Dicit Christus se Spiritum à Patre missurum fore, *Jo.* 15. 26. in quibus verbis significare videtur quod à se etiam procedat; licet, loquens ut Homo, reverentiæ causâ, hoc referat ad Patrem; non est curiosius de hac re disputandum, si concedatur spiritum sanctum habere dependentiam æternam à filio, de vocibus & terminis inutiliter admodum litigaretur.

2. Lo-

2. Locus citatus non de essentiâ, & Personâ, sed de donis & operatione spiritûs sancti loquitur.

3. *Supervenire*, non significat loci mutationem; sed particularem in certo loco patefactionem.

4. Spiritus sanctus essentialiter est altissimus, non personaliter, si nomine *altissimi* intelligatur Pater.

5. Cum dicitur, quod nemo novit Patrem nisi Filius, particulâ *nemo*, non excludit spiritum sanctum, qui perfectè illum novit, 1 *Cor.* 2. 10. sed creaturas.

6. Omnia dicuntur facta esse à Christo, quæ facta sunt; at solùm creaturæ factæ sunt.

7. Non dicitur, quid immediatè & per se agat spiritus sanctus; sed quid in nobis excitet & efficiat.

8. Missio & obedientia non tollunt æqualitatem potentiæ; æqualis enim ab æquali mitti potest.

ARTI-

ARTICUL. 6.

De Scripturis Sacris, quòd ſufficiant ad ſalutem.

SCriptura Sacra continet omnia ad ſalutem neceſſaria, ità ut quicquid in eâ nec legitur, nec per eam probari poteſt, non ſit à quoquam exigendum, ut tanquam Articulus Fidei credatur, aut requiri tanquam neceſſarium ad ſalutem putetur. Sacræ Scripturæ nomine, eos Canonicos libros veteris & Novi Teſtamenti intelligimus, de quibus nunquam fuit ullum in Eccleſia dubium.

De nominibus & numero librorum Canonicorum.

Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judicum, Ruth, primus liber Samuelis, ſecundus liber Samuelis, primus liber Regum, ſecundus liber Regum, pri-

primus liber Paralipomenon, ſecundus liber Paralipomenon, primus liber Eſdræ, ſecundus liber Eſdræ, liber Heſter, liber Job, Pſalmi, Proverbia, Eccleſiaſtes vel Concionator, Cantica Salomonis, quatuor Prophetæ majores, duodecim Prophetæ minores.

Cæteros autem libros (ſicut Hieronymus ait) ad vitæ exemplum & morum inſtructionem Eccleſia legit; non tamen illos ad ſtabiliendum ullam doctrinam applicat; tales hi ſunt;

Tertius liber Eſdræ, quartus liber Eſdræ, liber Tobiæ, liber Judith, reliquum libri Heſter, liber Sapientiæ, Jeſus Filius Syrach, Baruch Propheta, Canticum trium puerorum, Hiſtoria Suſannæ, De Bel & Dracone, Oratio Manaſſis, primus liber Maccabæorum, ſecundus liber Maccabæorum.

Omnes libros Novi Teſtamenti (ut vulgò recepti ſunt) recipimus, & pro Canonicis habemus.

Vide-

Videtur, quòd Scriptura non continet omnia ad ſalutem neceſſaria.

1. *Ad ſalutem neceſſarium eſſe, ut ſciamus, qui & quot ſint libri Canonici.*

2. *Hos libros ad nos perveniſſe incorruptos.*

3. *Quot ſint dogmata Fidei ſub diſpendio ſalutis cuilibet credenda; nulla tamen ex his eſſe tradita in codice ſacro.*

4. *Nuſpiam tradi medium, quo Deus uſus eſt ſub veteri Teſtamento in purgando ſexu fœmineo à peccato originali; in maſculis, qui ante diem octavum obierant vel in Gentilibus ſub veteri Teſtamento ſalvandis.*

5. *Si Scriptura ſit perfecta, aut ſinguli Canonis libri perfecti ſunt, aut totus Canon; non ſinguli libri, ut conceditur; non totus Canon, quia multi libri perierunt, ut ſcripta* Nathan & Gad *cum aliis*, 1 Paralip. *cap. ultimo*, v. 29. 2 Paralip. 9. 29. *Epiſtola* Pauli *ad Laodicenſes*, Col. 4. 16.

6. *Non*

6. *Non omnia scripto comprehensa esse, quæ Christus dixit aut fecit.*

7. Paulus *dicit, Tenete traditiones*, 2 Thes. 2. 15.

8. *Præterea videtur, libros, quos vocamus Apochryphos, esse verè Canonicos, quia multa Concilia hos libros vocant Canonicos; Et*

9. *Multi Patres.*

10. *Ecclesia solet hinc multa citare.*

11. *Multa etiam hîc continentur, quæ fidem & pietatem eximiè fovent; sunt parva Ethica, Oeconomica, Politica, imò Compendium Scripturæ.*

Resp. 1. Non est dogma præcisè necessarium, cognoscere, qui & quot sint libri Canonici; hoc tantum urgetur, ut salvandi babtizentur, credant & benè vivant.

2, Dei bonitas tanta est, ut nollet libros esse corruptos, qui continent negocium salutis; promissio facta est *Esaiæ* de Scriptura ejus Prophetica perenniter mansura,

Esa. 30. 8. & Christus pollicitus est, *Mat.* 5. 18. quod neque iota unum aut apex unus præteriret è lege.

3. Habemus Symbolum ex Scripturis collectum; non tamen est necessarium ad salutem, distinctam habere de numero mysteriorum cognitionem; Uno opus est, ut Christus Marthæ respondit, *Luc.* 10. 42. Unum est præcisè necessarium, nempè præ Christo omnia ducere damnum: Non statui quicquam inter vos scire, nisi Christum eumque crucifixum, inquit Paulus 1 *Cor.* 2. 2.

4. In circumcisione virorum consecrabantur fœminæ; nuptæ pertinebant ad viros, innuptæ ad parentes; purgatio fœminarum à peccato fuit præcipuè per fidem; illæ atque Judæorum liberi ante octavum diem morientes, salvabantur vi promissionis *Abrahamo* factæ, *Ero Deus tuus & seminis tui.* Deus non alligabatur Sacramento externo, & citrà illud

lud potuit conferre gratiam; sic etiam gentiles justificabantur per fidem; omnes familiæ terræ erant in *Abrahamo* benedicendæ, *Gen.* 12. 3.

5. Singuli libri perfecti sunt perfectione essentiali, quia habent materiam & formam verbi Dei; totus Canon perfectione quantitativâ: illa perfectio partis, hæc totius. Nos autem habemus omnes libros Canonicos; illi libri, qui perierunt, erant narrationes historicæ, & quidam alii, qui non erant Canonici.

6. Omnia dicta & facta Christi ad salutem necessaria, sunt Scripta.

7. Vel loquitur Apostolus de constitutionibus liberis, & adiaphoris politiam Ecclesiæ concernentibus, vel de doctrinâ, quam vivâ voce prædicavit, quæ & in illius scriptis & in aliis libris Canonicis comprehensa est: nam & traditio hoc sensu sumi solet; nihil autem ille contra Scripturam tradidit, quemadmodum alii.

8. Conciliis habenda fides, quatenus Scripturæ ductum ſequuntur, non aliter; & ſi-quando Concilia generalia hos libros vocant Canonicos, exiſtimandum eſt hoc fieri latè ſumptâ voce, non alio ſenſu, niſi quòd in Eccleſia legi ſolebant ad populi ædificationem, non quòd eandem haberent cùm verè Canonicis certitudinem, quia in Canonem Hebræorum nunquam erant recepti, atque hînc appellabantur Deutero-Canonici.

9. Nulla eſt conſequentia, Aliqui Patres dicunt hoc, ergo verum eſt; nec verisimile eſt Patres ſinceriores ſic vocâſſe, niſi ſenſu improprio, veluti in reſponſione præcedenti.

10. Apoſtoli quædam citârunt, ex ſcriptis Ethnicorum, at eorum ſcripta non proindè Canonica.

11. Omnes libri, qui continent bona præcepta, non ſunt libri Canonici.

ARTI-

ARTICUL. 7.

De veteri Testamento.

TEstamentum vetus novo contrarium non est; siquidem & in veteri, & in novo Testamento per Christum, qui est unicus Mediator inter Deum & hominem, Deus existens & homo, æterna vita humano generi oblata est; quapropter audiendi non sunt, qui fingunt quod Patres veteres pro promissionibus tantùm transitoriis expectabant; quanquam lex à Deo data per Mosen, quoad ceremonias, & ritus Christianos non astringat; neque civilia ejus præcepta in aliqua Republica ex necessitate recipi debeant; nihilominus tamen ab obedientia mandatorum, quæ moralia vocantur, nullus quicunque fuerit, Christianus solutus est.

Contra prædicta Objicitur, 1. *In veteri Testamento res fuisse obscuras*,

in novo verò esse claras; in veteri sub Cæremoniis adumbratum fuisse Christum, in novo ipsum esse præsentem, ex quibus inferri potest inter Testamenta oppositio.

2. *Christum, quà hominem, nondum passum fuisse, & proinde gratiam in illo nondum fuisse oblatam.*

3. *Mysterium Incarnationis fuisse ignotum Filiis hominum,* Eph. 3. 5.

4. *Ecclesiam veterem in infantili ætate fuisse, atque ideò ut infantem sapuisse,* Gal. 4. 3. *& sic in corporalibus non vidisse spiritualia.*

5. *Christum præstantioris fœderis esse Mediatorem, quod præstantioribus promissis sancitum est,* Heb. 8. 6.

6. *Circumcisionem vocari fœdus sempiternum,* Gen. 17. 13. *Paschæ vocari cultum sempiternum; & totum cultum Leviticum vocari præceptum sempiternum, ritum perpetuum; & proinde Christianos astringere,* Exod. 12. 14.

7. *Le-*

7. *Legem de non comedendo sanguine, Christianos obligare,* Act. 15. 29.

8. *Neminem leges sapientiùs Deo constituere posse; civilia autem legis præcepta de non fraudandis mercenariis, de pauperum curâ, & quamplurima alia, quemvis Christianum maximè obligare.*

9. *Legem moralem non esse positam justo,* 1 Tim. 1. 9.

Resp. 1. Discrimen aliquod infertur inter vetus & Novum Testamentum, respectu modi administrationis, rerum patefactionis & circumstantiæ; nulla vero contrarietas respectu substantiæ.

2. Gratia oblata fuit in Christo venturo.

3. Incarnatio ignota fuit Filiis hominum, hoc est, Gentibus ante suam conversionem; vel mysterium hoc Patribus fuit incognitum; hoc est, non tàm distinctè & plenè cognitum, sicuti nunc est, veluti habetur in textu.

4. Vetus Eccleſia vocatur infantilis, non quòd nihil de Chriſto ſciverit; ſed quòd cognitio ejus erat valde tenuis, collatione ad Eccleſiam Novi Teſtamenti, quæ vidit ea conſummata, quæ prius prædicta.

5. Chriſtus eſt Mediator præſtantioris fœderis, quàm Moſaicum eſt; illud enim promiſit benedictionem ſub conditione legis obſervandæ; ſed vetus fœdus gratuitum cum Patribus initum, eadem habet promiſſa cum Teſtamento Novo, in quo vita per fidem promittitur.

6. Ritus Levitici dicuntur ſempiterni, hoc eſt, pro tempore legis veteris duraturi, adeò ut talis notetur duratio, qualem permittit rei natura, & vox עולם *olam*, ſignificat ſæculum vel longum tempus, non ſemper denotat abſolutam perpetuitatem.

7. Eſus ſanguinis Gentibus fuit prohibitus, non perpetuò, ſed ad tempus, ne ſcandalum daretur infirmis Judæis, qui in fide Chriſti non

nondum erant plenè confirmati, atque credebant hunc ritum non esse planè abolitum: Sed regeret aliquis, abstinentiam à sanguine & scortatione jungi in edicto Apostolico, *Act.* 15. 29. quâ ergo necessitate à scortatione, eâdem à sanguinis esu abstinere coguntur Christiani. Respondetur, jungi ab Apostolis esum sanguinis & scortationem, non quòd essent, sed quòd haberentur paria; nam à plurimis Ethnicis scortatio non habebatur pro peccato; & Christiani admirationi gentibus esse cœperunt, quòd castitatem tantoperè amarent; neque novum est in lege *Mosis*, moralia, judicialia & cæremonialia præcepta misceri.

8. Nemo constituit leges sapientiùs Deo; sed ex legibus quas constituit, quædam erant solummodò Reipublicæ Judæorum propriæ, atque hæ Christianos non obligant; aliæ verò sunt juris communis legisque naturalis, & moralis explicationes & determinationes; atque

etiam earum obſervatio in Novo Teſtamento imperatur; hæ verò quoſvis aſtringunt.

9. Lex quoad pœnas, quas innumeras minatur, non eſt poſita juſto ad condemnationem, licet poſita ſit quoad regulas ad obſervationem: Juſtus amore juſtitiæ legi etiam ſe conformat; nihil ad illum minæ legis; unde etiam nihil hîc pro Libertinis volentibus juſtos non obligari ullis legibus Chriſtianis.

ARTICUL. 8.

De Tribus Symbolis.

SYmbola tria, ſymbolum Nicænum, Athanaſii ſymbolum, & illud quod vulgò ſymbolum Apoſtolorum vocatur, recipi omninò, & credi debent; nam certiſſimis Scripturæ teſtimoniis probari poſſunt.

1. *Articulus hic videtur imperfectus, quia nihil habet de ſymbolo Ephe-*

Ephesino, Chalcedonensi, & Constantinopolitano, quæ etiam ab Ecclesia approbari solent.

2. *Inventa hominum non sunt obtrudenda Ecclesiæ nec recipienda tanquam creditu necessaria; at symbola predicta talia sunt, & proponuntur credenda, ac si essent verbum Dei.*

3. *Omissis aliis, Illa sententia in symbolo Athanasiano videtur nimis aspera, ubi loquitur de confessione fidei, quòd nisi quisque integram inviolatamque illam servaverit, absque dubio in æternum peribit; quid dicemus de illis, qui ignorantiâ invincibili laborant? Quomodò credent ei quem non audiêrunt?* Rom. 10. 14. *Si itaque non fuerit à quo homines discant, neque ad eos aliquo modo rumor doctrinæ pervenerit, videtur quòd illi vitio suo non ignorant & quod sint immunes à damnatione; Deus enim nullum obligat ad impossibile.*

Resp. 1. Articulus symbola primaria recitat, non exclusis aliis, quasi non essent vera; neque necesse

ceſſe erat de omnibus mentionem facere.

2. Symbola antedicta compoſita ſanè & diſpoſita fuerunt ab hominibus; non tamen ſunt mera hominum figmenta, ſacris literis contraria, de quibus tantùm procedit argumentum; ſed doctrina in illis comprehenſa, eſt verbo divino conformis; neque nos ea pari gradu cum Scripturis recipimus; proximum tamen locum illis tribuimus, & tanquam egregia Fidei monumenta veneramur.

3. S. Athanaſius loquitur præcipuè de iis quibus fides Catholica propoſita, & expoſita eſt, qui omnia habent media ad cognitionem veritatis neceſſaria; quod ad alios attinet, qui ex illis ſalvandi ſunt, Deus ipſe modo extraordinario intellectum eorum illuminabit, ut percipiant, quæ ad ſalutem neceſſaria ſint.

ARTI-

ARTICUL. 9.

De Originali peccato.

ORiginale peccatum non conſiſtit in imitatione Adami (ut Pelagiani fabulantur) ſed vitium eſt, & corruptio naturæ cujuſlibet hominis, ex Adami progenie naturaliter generati, quâ perlongè ab originali juſtitia diſceſſit, & ad malum ſuâ naturâ propendet, ita ut caro ſemper adverſus ſpiritum concupiſcat; atque ideò in unoquoque in hunc mundum producto, iram Dei atque damnationem meretur. Manet autem hæc naturæ contagio, imò in renatis, unde carnis concupiſcentia φρόνημα σαρκὸς Græcè appellata (quod alii ſapientiam, alii ſenſum, alii affectum, alii deſiderium carnis interpretantur) legi Dei non ſubjicitur; & quanquam credentibus & baptizatis nulla eſt condemnatio, fatetur tamen Apoſtolus

concu-

concupiſcentiam & libidinem ex ſeſe habere rationem peccati.

Contra prædicta Objicitur, 1. *Quòd Deus idem peccatum bis non punit; at peccatum Adami in Adamo punivit; ergo non in nobis.*

2. *Videtur, quòd non ſit peccatum Originis; quia Filius non fert iniquitatem Patris*, Ezech. 18. 20.

3. *Peccatum eſt voluntarium; at peccatum originis in infantibus tale non eſt.*

4. *Accidens unius Individui non propagatur in totam ſpeciem; at peccatum Adami fuit accidens unius Individui.*

5. *Liberi ſanctorum ſunt ſancti*, 1 Cor. 7. 14. *ergo non naſcuntur in peccatis.*

6. *In Baptiſmo homo accipit perfectam remiſſionem peccatorum; ergo peccatum Originale ſublatum eſt totaliter, & ſic non manet in renatis.*

7. *Privativè pugnantia non ſunt in eodem ſubjecto; peccatum & juſti-*

tia

tiæ sunt ejusmodi; cum ergo in renatis sit justitia, ibi non est peccatum.

8. *Concupiscentia, seu pronitas in malum, distinguitur à peccato, ut causa ab effectu,* Jac. 1. 15. *& proinde non habet ex sese rationem peccati.*

Resp. 1. Peccatum Adami non fuit unum numero, sed specie, & totius speciei; ut ille, ita nos in illo peccavimus, & justè in nobis punimur.

2. Filius non fert peccata Patris personalia, at peccatum primi hominis erat commune totius naturæ; cum itaque aliquis punitur pro peccato Adami, punitur pro suo.

3. Peccatum Originis voluntarium est respectu omnium, imò infantium; voluntates nostræ erant in voluntate Adami, tanquam in principio humani generis; in illo voluimus malum.

4. Adam, in quantum fuit principium humanæ naturæ, habuit rationem causæ universalis.

5. Liberi sanctorum non sunt ita

ita ſancti, ac ſi eſſent liberi à peccato originali; ſed ita dicuntur reſpectu communionis cum Eccleſiâ, propter illud fœdus, *Ero Deus tuus, & ſeminis tui*, Gen. 17. 7. ſunt igitur ſancti ſanctitate relativâ, non inhærente; ſic etiam innocentes ſunt reſpectu peccatorum, quæ à ſcientibus committuntur.

6. Remiſſio peccati tollit peccatum quoad imputationem, non quoad exiſtentiam; mortificatio in hâc vitâ eſt imperfecta; ita in Baptiſmo tollitur peccatum, non ut non ſit; ſed ut non obſit.

7. Peccatum & juſtitia non ſunt in eodem ſubjecto in gradibus intenſis, ſed remiſſis.

8. Concupiſcentia diſtinguitur à peccato actuali & opere externo conſummato; interim habet de ſe naturam peccati, quiâ de ſe non ſubordinatur legi divinæ; hæc rebellio potentiarum animæ nos ad omnia peccata diſponit.

ART I-

ARTICUL. 10.

De libero arbitrio.

TAlis est hominis post lapsum Adæ conditio, ut sese vi suâ naturali & bonis operibus, ad fidem & invocationem Dei convertere ac præparare non possit; quapropter nullam habemus potestatem ad bona opera, quæ Deo grata & accepta sint, facienda, absque gratiâ Dei per Christum nos præveniente, ut bonum velle habeamus; & nobiscum co-operante, cum illud bonum velle habemus.

Contra hanc doctrinam Objicitur, 1. *Deum mandare hominibus, ut se ad ipsum convertant, & credant*; Zach. 1. 3. Marc. 1. 15. *& in quamplurimis locis, ut omnia pietatis officia peragant; ergo hoc possunt, aliter frustrà præciperetur.*

2. *Tyrannicum esse pœnâ quempiam afficere, quòd ea non fecerit, quæ nè velle quidem potuit.*

3. Si

3. *Si homo non haberet liberum arbitrium, peccaret neceſſariò; & ideò puniri non debet; atque ità tolleretur omnis uſus hortationum, reprehenſionum, & omne ſtudium bonorum operum.*

4. *Homines vocari operarios & co-operarios Dei in negotio ſalutis,* Mat. 20. 8. 1 Cor. 3. 9.

Reſp. 1. A præcepto ad poſſe non valet argumentum; deinde, nos poſſumus officia pietatis peragere; ſed excitati; acti agimus; Deus dat quod jubet, & adjuvat quod dedit; ſine eo non poſſumus, ſine nobis non ſolet ille nos bonos facere.

2. Ille Tyrannus foret, qui ea imperaret, ad quæ facienda nunquam collatæ eſſent vires; Deus vero condidit hominem, ut mandatis ejus implendis par eſſet; deinde Deus requirit ab homine legis obedientiam, non ut conatu irrito in plenam ejus adimpletionem incumbat; ſed animadversâ ejus impoſſibilitate

bilitate, virium naturalium respectu, ad Christum confugiat, in quo fideles omnia possunt.

3. Homo sine auxilio gratiæ necessariò peccat; & quòd non possit non peccare, ipsius culpa est; sibi enim hanc peccandi necessitatem contraxit, atque ideò justè à Deo punitur; deinde, usus hortationum non tollitur apud eos, qui habent auxilium Dei sufficiens; præcepta, quæ viribus naturæ præstari nequeunt, utilia sunt; commonent nos nostræ infirmitatis, invitant ad serium studium precum, & manuducunt ad Christum, qui infirmos adjuvare solet; & sunt media efficacia, quibus unà cum gratiâ suâ Deus uti solet ad homines convertendos, ut quod naturæ impossibile est, hoc modo facillimum fiat.

4. Homines co-operantur cum Deo per gratiam, non viribus suis; & dicuntur co-operari respectu gratiæ concomitantis, non respectu gratiæ prævenientis.

ARTI-

ARTICUL. II.

De hominis per fidem justificatione.

JUsti coram Deo reputamur tantùm propter meritum Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi, per fidem, non propter opera & merita nostra; quare solâ fide nos justificari, doctrina est saluberrima, & consolationis valde plena; ut in Homilia de justificatione fusiùs explicatur.

1. *In hoc Articulo videtur, quòd sit contradictio, cum dicitur Justi reputamur tantùm propter meritum Christi; sed posteà dicitur, Hoc fieri per fidem.*

2. *Per justificationem redimus ad istum statum è quo per peccatum Adæ excidimus,* Rom. 5. 19. *Amisimus autem in Adamo justitiam inhærentem, & proinde talem jam habemus.*

3. Spe

3. *Spe servati sumus*, Rom. 8. 24.

4. *Multa peccata remissa fuerunt Magdalenæ, quia dilexit multum*, Luc. 7. 47. *ergo per dilectionem justificabatur.*

Resp. 1. Nulla hîc est contradictio, Justi tantùm reputamur per meritum Christi, ut per causam impulsivam; Hoc tamen fit per fidem, ut per causam instrumentalem, per quam illud meritum apprehendimus.

2. Restituimur per justitiam Christi, & partim per inhærentem; illa, ut consummatissima, in perfectam justitiam imputatur, *Rom.* 4. hæc autem languidior, quàm ut coram Deo consistere valeat, *Esa.* 64. 6. In dicto Apostoli ad *Romanos* 5to vox *sicut* non comparat inter se modum seu qualitatem, sed originem seu autorem justitiæ.

3. Spes sumitur pro fiducia, & cum fide coincidit; vel spe salvari dicimur, quia salutem spe non re possidemus; non quod speciali spei virtute justificemur.

4. Parti-

4. Particula (*Quia*) non notat cauſam impulſivam juſtificationis, ſed notificativam; charitas enim eſt ſignum juſtificationis; charitas eſt fructus, comeſque fidei, non æqualis con-cauſa in actu juſtificationis: hoc non ſequitur, Remiſſa ſunt peccata quia dilexit, ergo dilectio eſt cauſa remiſſionis; veluti non ſequitur, Homo vivit quia ambulat, ergo ambulatio eſt cauſa vitæ.

ARTICUL. 12.

De bonis operibus.

QUamvis bona opera, quæ ſunt fructus fidei, & juſtificationem ſequuntur, peccata noſtra amovere, & ſeveritatem divini judicii ferre non poſſint; Deo tamen grata ſunt & accepta in Chriſto; atque ex verâ & vivâ fide neceſſariò oriuntur, ita ut ex illis viva fides agnoſci poſſit, æquè ac arbor ex fructu diſcerni poteſt.

1. *Ob-*

1. *Objicitur, quòd multi credunt Articulos Fidei esse veros, qui malè vivunt, ergo bona opera non semper sunt fructus fidei.*

2. Jobi *puritas describitur, cap.* 1, 2. David *petit judicari secundum justitiam suam, imò & de illa gloriatur,* Psal. 7. 8. *de* Zacharia & Elizabetha *legitur, quòd fuerint perfecti & verè justi* Luc. 1, 6. *videtur itaque quòd opera eorum possent ferre judicium Dei.*

3. *Concludit* Jacobus *cap.* 2. 24. *hominem ex operibus justificari & non ex fide tantùm.*

4. *Mala opera damnant; ergo bona justificant; Oppositorum eadem est ratio.*

4. *Fide justificamur, ut in Articulo præcedenti habetur; fides verò est bonum opus, qui enim credit, benè agit, ergo.*

Resp. 1. Homines qui semper malè vivunt, non habent fidem justificantem, sed inanem tantùm fidei professionem.

2. Per-

2. Perfectio partium, quæ eſt ſinceritas, tribuitur ſanctis; non autem abſoluta, quæ dicitur perfectio graduum, quaſi poſſent examen ſeverum judicii divini ſubire; *Job* negat ſe hoc poſſe, cap. 9. 2, 3. atque aliud eſt loqui de juſtitiâ cauſæ, aliud de juſtitiâ perſonæ; reſpectu hujus juſtitiæ perſonalis *David* fatetur neque ſe poſſe ferre judicium Dei, *Pſal.* 130. 3. 143. 2.

3. Loquitur *Jacobus* de juſtificatione, ſeu juſtificationis comprobatione coram hominibus, ut patet ex verſu 18. Oſtende mihi fidem per opera; atque ex verſu 21. *Abraham* ex opere oblationis filii juſtificatus fuit (h. e.) juſtus declaratus; cum antea per juſtitiam fidei juſtus pronunciatus eſſet coram Deo, *Gen.* 15. 6. *Rom.* 4.

4. Hæc oppoſita non ſunt paria, de quibus intelligendum eſt Axioma, Mala opera ſunt perfectè mala; ſed bona imperfectè bona.

§. In argumento ſunt quatuor termi-

termini; major intellecta impropriè, correlativè, objectivè, evangelicè, vera eſt; propriè & legaliter, falſa; fides non eſt juſtitia noſtra propriè, neque ſic nobis imputatur; ſed fidei objectum, nempe meritum Chriſti.

ARTICUL. 13.

De operibus ante juſtificationem.

OPera ante gratiam Chriſti, & ſpiritûs ejus afflatum, Deo grata non ſunt, cum ex fide in Jeſum Chriſtum non oriantur, neque homines ad gratiam recipiendam aptos reddunt, vel (ut Scholaſtici authores) gratiam de congruo merentur; imò potius, quia facta non ſunt ut Deus illa fieri voluit & præcepit, non dubitamus quin peccati rationem habeant.

1. *Objicitur, quòd Deus remuneratus eſt quædam infidelium opera,*

exemplo obstetricum Ægyptiarum, Exod. 1. 21. & proinde videntur illi fuisse grata.

2. Gentes naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, Rom. 2. 14. hoc autem agere Deo gratum est.

3. Cornelius fuit Gentilis; attamen ante salutarem ejus ad Christum conversionem, Eleemosynæ ejus laudantur ut bona, Act. 10. 1, &c. unde bona ejus opera videntur illum ad gratiam disposuisse, sive hoc de congruo meruisse.

4. Si opera non-renatorum haberent rationem peccati, melius esset illa opera non facere, quam facere; quia faciendo peccaretur; non faciendo, non tam graviter peccaretur; & proinde melius esset, si homines non facerent Eleemosynas, vel imperitos docerent.

Resp. 1. Ex qualicunque temporali remuneratione non colligitur opus aliquod in se Deo perfecte placere.

2. Gentes naturaliter efficiunt quæ sunt

ſunt legis in quibuſdam officiis externis; at non quoad omnes circumſtantias requiſitas, quia non in fide; nec ad gloriam veri Dei.

3. Cornelius fuit eximiâ Dei gratiâ præditus; Deus autem in illo ſua dona coronavit; & videtur quòd habuit cognitionem Chriſti venturi; & preces ejus non exauditæ fuiſſent, niſi in Chriſto Mediatore; illâ de causâ renatus fuiſſe exiſtimatur.

4. Peccarent infideles omittendo quod debuiſſent agere; & peccatum Omiſſionis aliquando gravius eſt peccato Commiſſionis; opera verò non ſunt prohibenda propter adjunctum hominis vitium, ſed hortandi ſunt gentiles, & non converſi, ut bona benè faciant, quod etiam ex præcepto facere tenentur; opera hominis non renati habent naturam peccati per accidens, quoad modum, & finem agendi; non quoad operum ſubſtantiam.

ARTICUL. 14.

De operibus ſupererogationis.

OPera voluntaria ultra & ſupra Dei præcepta, quæ vocant opera ſupererogationis, non poſſunt ſine arrogantiâ & impietate doceri; nam per illa declarant homines ſe non tantùm Deo reddere quantum tenentur; ſed & in gratiam illius ſe plus facere quàm ex officio obligante requiritur; quandoquidem Chriſtus apertè dicat, Cum feceritis omnia, quæcunque præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus.

Objicitur. 1. *Quòd Chriſtus dixit adoleſcenti cuidam*, Mat. 19. 21. *Si vis eſſe perfectus, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; hoc erat conſilium non omnes obligans; ſed ſi adimpleretur, ad excellentiorem gloriæ gradum adipiſcendum conduceret.*

2. *Quòd*

2. *Quòd Apostolus dicit,* 1 Cor. 7. 25. *De virginibus præceptum non habeo; consilium autem do, quod si quis sequeretur, ageret plus quàm necessarium foret.*

3. *Quòd Apostolus,* 1 Cor. 9. 15. *de suis operibus supererogationis gloriatur, quia gratis Evangelium prædicaverit, neque hoc fuit sibi necessarium.*

Resp. 1. Hoc erat præceptum huic adolescenti quoad actum singulariter datum; & quod hîc præcipitur, id singuli præstare tenentur, si fratrum necessitas postulaverit; quod etiam fecerunt primitivi Christiani. Præcepta affirmativa, licet obligent quidem semper; non tamen ad semper & simpliciter; sed positâ requisitâ circumstantiâ.

2. Non potest hinc colligi ullum opus observatione mandatorum Dei perfectius, & magis ad vitam æternam conducens; neque sententia Pauli omnia tempora respicit; sed

instantem necessitatem: Ecclesia enim tunc erat sub cruce. Deinde, consilium sit Apostolicum, quòd cœlibatus præferatur conjugio: non tamen attinet, nisi ad illum cui Deus partitus est donum, quo casu consilium hoc fit præceptum, si aliquis habeat donum specialis continentiæ. Multa sanè sunt de rebus adiaphoris consilia; sed talia nos rejicimus, quæ vim meritoriam & majorem rebus per se arbitrariis, quàm Dei præceptis, ascribunt.

3. Paulus gratis Evangelium prædicavit, ut pseudo apostolis calumniandi occasionem non daret, ac si quæstus gratiâ huic officio incumberet; jam vero scandalum vitare, non est opus supererogationis; sed quod unusquisque facere tenetur: væ illi per quem scandalum venit, *Mat.* 18. 7.

ARTI-

ARTICUL. 15.

De ſolo Chriſto ſine peccato.

CHriſtus in noſtræ naturæ veritate, in omnibus ſimilis factus eſt nobis, excepto tantùm peccato, à quo prorſus erat immunis, tùm in carne, tùm in ſpiritu; venit ut agnus ſine macula, qui per ſui immolationem ſemel factam, mundi peccata tolleret; & peccatum, ut inquit Joannes, in eo non erat; ſed nos reliqui, quamvis baptizati & in Chriſto regenerati, in multis tamen offendimus; & ſi dicamus quòd peccatum non habemus, fallimus noſmetipſos, & veritas in nobis non eſt.

Objicitur. 1. *Deum feciſſe Chriſtum, qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis*, 2 Cor. 5. 21.

2. *Omnem in Deo manentem non peccare*, 1. Joh. 3. 6. *& proinde renatos, qui ſic manent, non offendere in multis.*

3. *Non nisi vincenti promitti vitam æternam*, Apoc. 3. 5. *solos autem illos vincere, qui peccatum penitùs debellant.*

4. *Debere nos esse perfectos, sicut Pater cœlestis perfectus est*, Mat. 5. 48. *hoc autem fieri non posse, si vel minimâ peccati labe coinquinaremur.*

5. *Christum dixisse, neque cæcum, neque parentes ejus peccâsse*, Joh. 9. 3.

Resp. 1. Deus dicitur Christum fecisse peccatum, quià dedit eum hostiam pro peccatis; non aliter.

2. Hoc innuitur, quod regenitus difficulter adduci possit, ut peccet; sive quòd non committat peccatum regnans; vel quòd regenitus quâ regenitus, vel quâ manet in Deo, non peccat; sed quantum accedit propensioni in peccatum, tantùm regenerationi decedit.

3. Veluti gloriæ coronâ non coronamur, nisi post peractum vitæ cursum; ita nos miseri mortales non peni-

penitùs ante illud tempus vincimus peccatum.

4. A debere ad esse, non valet argumentum; nec urgetur hîc æqualitas sanctitatis cum Deo Patre, quæ planè impossibilis est; sed aliqua tantùm similitudo suadetur cum Deo Patre, quæ potest esse in quibusdam pietatis officiis, non obstante peccato.

5. Peccatum sumitur vel generatim, quo sensu omnes peccant; vel speciatim pro enormi, & insigni aliquo scelere, quod sæpè est causa singularis judicii Dei in personâ peccantis, vel suorum; & hoc sensu Christus de cæco locutus est.

ARTICUL. 16.

De peccato poſt Baptiſmum.

NON omne peccatum mortale poſt Baptiſmum voluntariè perpetratum, eſt peccatum in ſpiritum ſanctum, & irremiſſibile; quare pœnitentiæ facultas non eſt eis denegenda, qui in peccatum poſt Baptiſmum labuntur. Poſtquam acceperimus ſpiritum ſanctum, poſſumus à gratiâ datâ recedere, atque in peccatum labi; & per Dei gratiam poſſumus reſurgere, & vitam noſtram emendare; ideòque illi damnandi ſunt, qui ſe, quamdiu hîc vivunt, amplius non poſſe peccare dicunt; aut iis qui verè reſipiſcunt, veniæ locum denegant.

Objicitur, 1. *Omne peccatum eſſe peccatum in vel contrà ſpiritum ſanctum, & proinde omne peccatum voluntarium poſt Baptiſmum.*

2. *Dici ad* Hebræos, *cap.* 6. 4, 5, 6. *quòd ſi homines guſtatâ Dei gra-*

gratiâ prolabantur, non posse denuò renovari ad resipiscentiam.

Resp. 1. Veritatis agnitæ blasphema, malitiosa, & finaliter perseverans abnegatio, & oppugnatio, vocatur peccatum in spiritum sanctum, non quod reliqua peccata non committantur in spiritum sanctum, nec quod hoc ipsum peccatum non sit contra Patrem & Filium; sed quod contra propriam & immediatam Spiritus Sancti operationem committatur; & sic peccatur, quando veritas Evangelica abundè & luculenter agnita abnegatur, destinato consilio & voluntariâ malitiâ abjicitur, & hostiliter oppugnatur, & quando in hac agnitæ veritatis abnegatione & hostili impugnatione ad ultimum usque vitæ halitum obstinatè perduratur, ut priùs liquet.

2. Hic sermo non est de particulari uno lapsu vel altero, sed de universali defectione, quâ se impii à salute abdicant, & omnia ad salutem media conculcant.

ARTI-

ARTICUL. 17.

De Prædeſtinatione & Electione.

PRædeſtinatio ad vitam, eſt æternum Dei propoſitum, quo antequàm jacta fuerunt mundi fundamenta, ſuo conſilio nobis ſecreto, conſtanter decrevit eos quos in Chriſto ex humano genere elegit, à maledicto & exitio liberare, atque ut vaſa in honorem facta, per Chriſtum ad æternam ſalutem adducere: quare qui tam præclaro Dei beneficio ſunt donati, illi per ſpiritum ejus opportuno tempore operantem, ſecundum propoſitum ejus vocantur, vocationi per gratiam parent, juſtificantur gratis, facti ſunt per adoptionem Filii Dei, unigeniti Filii ejus Jeſu Chriſti imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus religiosè ambulant, & demum ex Dei miſericordia ſempiternam aſſequuntur felicitatem, Quem-

Quemadmodum Prædeſtinationis & Electionis noſtræ in Chriſto pia conſideratio, dulcis, gratæ & ineffabilis conſolationis eſt plena illis, qui pii ſunt, & qui ſentiunt in ſe vim ſpiritûs Chriſti, opera carnis, & membra quæ ſunt ſuper terram mortificantem, animumque ad ſuperna & cœleſtia trahentem, tum quia fidem eorum de æterna ſalute per Chriſtum conſequenda plurimum ſtabilit atque confirmat, tum quia amorem illorum in Deum ferventer accendit; ita hominibus curioſis, carnalibus, & ſpiritu Chriſti deſtitutis, ſententiam Prædeſtinationis Dei, ob oculos perpetuò habere, pernicioſiſſimum eſt præcipitium, unde illos diabolus protrudit, vel in deſperationem, vel in impuriſſimæ vitæ ſecuritatem, deſperatione non minus pernicioſam. Prætereà, promiſſiones divinas recipere oportet, ut nobis in Scripturâ Sacrâ generaliter propoſitæ ſunt; & Dei voluntas in noſtris actionibus ea ſequenda

da est, quam in Verbo habemus expressè revelatam.

Contra praedicta Objicitur,

1. *Quod homines non Praedestinentur, quia alia creaturæ non dicuntur praedestinari; eadem enim est ratio de omnibus creaturis, quæ omnes per divinam providentiam ordinantur in finem.*

2. *Homines Praedestinans, debet praedeterminare quæ spectant ad merita vel demerita: Deus verò non praedeterminat ea quæ sunt in nobis: aliter necessariò impelleremur ad salutem, vel ad exitium; Deus autem neminem sic cogit.*

3. *Quòd angelis non convenit praedestinari ad vitam, ergo nec hominibus; antecedens probatur, quia Praedestinatio ad vitam est propositum miserendi; Angeli verò nunquam fuerunt in miseria: consequentia probatur, quia angeli sunt capaces beatitudinis, sicut & Homo.*

4. *Si Deus aliquem reprobaret, non esset imputanda homini reprobato*

sua

sint perditio; nulli enim debet imputari, quòd vitare non potest; si Deus verò reprobaret, homo vitare non posset: nemo potest Deo resistere.

5. *Deus accepit λυτρὸν sufficiens pro omnibus, hoc est, Christi satisfactionem; ergo debet omnes in gratiam recipere; & per consequens, nulli sunt damnandi.*

6. *Quorum salus dependet ab arcano Dei consilio, illi non possunt habere consolationem; ergo videtur quòd doctrina de Prædestinatione non rectè dicitur quibusdam consolationis plena.*

Resp. 1. Non est eadem ratio creaturarum, quia creaturæ irrationales non sunt capaces hujus finis supernaturalis; licet Prædestinatio abusivè nominetur ordinatio ad quemcunque finem.

2. Deus non prædeterminavit merita vel demerita imponendo necessitatem; sed dedit homini ante lapsum arbitrium liberrimum.

3. Quidni dicamus de Angelis bonis, quòd ad vitam prædestinati fuerunt?

runt? miſericordia autem non ſolum eſt ſublevatio à miſeriâ, ſed omnis collatio boni ſupra debitum; motus non accipit ſpeciem à termino à quo, ſed à termino ad quem; non multùm refert an quis prædeſtinetur à ſtatu miſeriæ, vel non.

4. Argumentum verum eſſet, ſi Deus hominem abſque ulla cauſa inevitabiliter damnaret; at quia, quòd homo labatur in peccatum, provenit ex ſuipſius corruptione, ideò ſibi meritò imputatur perditio.

5. Λυτρὸν Chriſti erat ſufficiens, ſed ſub conditione applicationis: aliter non erit efficax; omnes verò Chriſti meritum ſibi non rectè applicant.

6. Conſilium Dei arcanum eſt, & conſolationem non affert, niſi pateſiat per revelationem Spiritûs Sancti, & per ſigna Electionis, fidem ſcilicet & reſipiſcentiam, charitatem & alias virtutes.

ARTI-

ARTICULUS 18.

De consequendâ æternâ salute in Christi tantùm nomine.

SUnt & illi anathematizandi, qui dicere audent, quòd unusquisque in lege aut sectâ, quam profitetur, salvabitur, modò vitam suam juxta illam legem & naturæ lumen traducere, sit studiosus; Sacra enim Scriptura nomen Jesu Christi nobis tantùm proponit, in quo homines salvari oportet.

Objicitur 1. *Non minùs Gentiles lege naturæ, quàm Judæos lege Mosaicâ salvari posse*, Rom. 2.

2. *Summam legis & Prophetarum comprehendi hoc dicto naturæ noto, Omnia quæ vultis ut homines vobis faciant, eadem illis facite*, Mat. 7. 12. *Unde promptum collectu est, constare hominibus quicquid ad salutem præcisè necessarium est.*

3. *Deum illa ab homine non exigere*

gere quæ ipsi impossibilia sunt; impossibile autem esse, ne illis quidem de Christo, non audiverunt, fide in illum recumbant.

4. *Christum dixisse Pharisæis,* Jo. 9. 41. *si cæci essetis, peccatum non haberetis; & dixisse discipulis de Judæis,* Jo. 15. 22. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non habuissent; atque ipsum in his locis satis testari simplicem ignorationem non debere cuiquam imputari, de qua suprà in Articulo octavo.*

Resp. 1. Non posse ullum hominem lege naturæ, vel Mosaicâ salvari, asseritur, *Rom.* 3. 28. Licet Gentiles & Judæi quædam opera fecerunt; attamen erant imperfecta sine Christo.

2. Dilectio proximo præstanda comprehenditur illo principio, quæ sola non sufficit; doctrina autem Evangelii, quæ naturâ nota non est, ad salutem requiritur.

3. Vel secundum Apostolum omnes

nes audiverunt de Evangelio Christi, *Rom.* 10. 18. vel omnes de illo possunt audire in extremis mundi partibus; ubi Evangelium indies prædicatur & propagatur; vel si quidam fuerint & sunt, qui de illo nunquam audierunt, credendum est hoc fuisse & esse propter gravissima quædam scelera, quibus tali cognitione se reddebant & reddunt indignos.

4. Hoc vult Christus, vel quòd si ad Phariſæos omnino non venisset, si Scripturas non legissent, miracula ejus non vidissent, quæ illum fuisse Messiam confirmabant, vel si opinione suâ cæci fuissent, & ab illo illuminationem petiissent; non habuissent peccatum infidelitatis: at hoc non obstante, propter alia eorum flagitia, sine salvatore non potuissent damnationem effugere.

ARTI-

ARTICUL. 19.

De Ecclesia.

ECclesia Christi visibilis, est cœtus fidelium, in quo purum Dei verbum prædicatur, & Sacramenta legitimè administrantur secundum Christi institutum, in omnibus iis, quæ ex necessitate ad eadem exiguntur. Sicut Ecclesiæ Hierosolymitana, Alexandrina, & Antiochena errârunt; ita & erravit Ecclesia Romana, non solum in moribus, & modo cæremoniarum, sed etiam in rebus Fidei.

Objicitur, 1. *Ecclesiam comparari ovili, ubi sunt oves & Hœdi,* (i.e.) *Pii & reprobi; ergo non solùm esse cœtum fidelium.*

2. *Quam plurimas sectas jactâsse apud se esse sanam doctrinam & rectum Sacramentorum usum, & proinde has notas veram Ecclesiam visibilem non designare.*

3. *No-*

3. *Notas adductas esse posteriores & obscuriores Ecclesiâ; posteriores, quia Doctores doctrinâ priores; obscuriores, quia ipsius Ecclesiæ est doctrinam explicare.*

4. *Non posse ostendi tempus, quo defecerit Ecclesia Romana.*

5. *Non posse nominari ullum cœtum visibilem, qui post defectionem Romanæ Ecclesiæ remanserit in terris.*

Resp. 1. Reprobos esse in Ecclesia, non de Ecclesia.

2. Aliud est falsò jactare, aliud est verè habere; verbum Dei infallibile, benè expensum, ostendet; cui cœtui homines se debent adjungere: Quidam Berhoenses, licèt non ordinis sacerdotalis, potuerunt cum fructu æstimare *Pauli* doctrinam.

3. Verbum Dei, licèt non quâ scriptum, attamen quoad substantiam, prius fuit Ecclesiâ, quia per illud generata est Ecclesia; & licet posterius esset Ecclesiâ, posset

tamen

tamem eſſe illius nota, ſicut effectus poteſt eſſe nota cauſæ; doctrina etiam ſcripta prior fuit doctoribus, qui in ultimis his ſæculis vixerunt; deinde non credenti Eccleſia eſt notior Scripturâ, quoad formam externam; credenti vero Scriptura eſt notior Eccleſiâ, quoad formam internam, quia Spiritus Sanctus mentes fidelium illuminat; Eccleſia autem explicat Scripturam; ſed per Scripturam, quia Scripturam ſuo nativo lumine illuſtratam proponit; & eatenùs fidem haberi oportet deciſioni Eccleſiæ, quatenus deciſionem affert Scripturis conformem.

4. Quod attinet ad tempus, quo deficere incepit Eccleſia Romana, teſtatur Apoſtolus myſterii illius iniquitatis ſuo tempore jacta fuiſſe fundamenta, 2 *Theſ.* 2. 7. & Chriſtus docet, *Matth.* 13. 24. inimicum Diabolum lolio infeciſſe agrum, hominibus dormientibus, (i. e.) non animadvertentibus; & quis

quis quæso ostendet nobis initia depravatæ per Pharisæos Religionis? satis est quòd Pontificiorum doctrina non sit verbo divino conformis.

3. Non est absurdum Ecclesiam veram ita premi persecutionum æstu, aut errores ita invalescere, ut non detur ullus cœtus publicus, valdè illustris, numerosus, & mundo notus, qui deum rectè colat; sicuti tempore Eliæ, 1 *Reg.* 19. 14. Queritur Propheta se solum esse derelictum; non solum ex Prophetis, sed etiam ex omnibus Filiis *Israel*, apud quos viguit publicus & ordinarius Dei cultus; & verba Prophetæ non solùm de regno Samariæ, sed generalissimè intelligenda esse, docet Apostolus, *Rom.* 11. deinde, reges Judæ tunc temporis defecerunt, & de fervore pietatis plurimùm remiserunt; illi autem septem mille qui non incurvârant genua sua Baali, non constituebant visibilem Ecclesiam, quia latuerunt

in

in medio cœtus idololatrici & ne quidem ipſi Prophetæ noti fuerunt. Perpendatur autem membrorum Eccleſiæ paucitas: Chriſto jam in carne comparente, omnes ferè illi adverſabantur; & cum iterùm venerit Filius hominis, vix fidem inveniet in terra, *Luc.* 18. 8. Hoc non dicitur, ac ſi non fuiſſent cœtus viſibiles nobiſcum idem ſentientes; Eccleſiæ enim Orientales Religionis capita incorrupta retinuerunt; & Pontifici Romano ſubjici noluerunt; atque in aliis regionibus ſemper erant fidelium noſtras partes tuentium cœtus, ut quamplurimi demonſtrârunt.

ARTI-

ARTICUL. 20.

De Authoritate Ecclesiæ.

ECclesia potestatem habet decernendi ritus vel cæremonias atque authoritatem in controversiis fidei; attamen Ecclesiæ non licet quicquam instituere verbo Dei scripto contrarium; neque unum Scripturæ locum sic exponere potest, ut sit alteri repugnans. Quare, licet Ecclesia sit Sacræ Scripturæ testis & conservatrix; attamen, ut adversus eam nihil decernere, ita præter illam nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere.

Objicitur, 1. *Dominum dixisse, Nè addatis ad verbum quod vobis loquar*, Deut. 4. 2. *& proinde videtur, Ecclesiam non habere potestatem addendi ritus.*

2. *Apostolum nolle Christianos teneri decretis hominum*, Col. 2 20. *cæremoniæ autem Ecclesiasticæ talia sunt.*

3. *Doctrinas, quæ sunt mandata hominum, non debet doceri; aliter frustrà coleretur Deus*, Matth. 15. 4.

4. *Scripturam esse judicem controversiarum; atque ideò Ecclesiam non habere in illis authoritatem.*

Resp. 1. Verba non sunt intelligenda de omni additamento, sed de additamento contrario & Scripturis repugnante, vel adulterante ea, quæ Deus per Mosen proposuerat.

2. Apostolus nollet Colossenses teneri decretis legis Mosaicæ cæremonialis, de non tangendo cadavere, ne immunditia contraheretur; de non gustando hoc vel illo cibo, tanquam immundo: non tamen improbat tales ritus qui externum Dei cultum, & Ecclesiæ statum defendere possint.

3. Frustrà colerent homines Christum mandata ejus negligentes, ut mandatis hominum obsequerentur;

tur ; nec reprehendit Chriſtus præcepta Eccleſiæ, quæ legibus divinis non adverſantur, ſed ſolùm reprehendit mandata hominum, quæ ità ſunt hominum, ut non ſint Dei, quæ homines contra Dei voluntatem effingunt, qualia ſunt illa futilia, ut lotiones ſuperſtitioſæ, verſ. 2. & erronea, animam inquinari per cibos, v. 11. vel Dei verbo prorſùs contraria, ut parentum defraudatio, v. 6.

4. Eccleſia in dirimendis Fidei controverſiis non habet authoritatem ſupremam & principalem ; ſed Miniſterialem & limitatam, quatenus ſequitur judicium Scripturæ, atque illud aliis denunciat.

ARTICUL. 21.

De authoritate conciliorum generalium.

GEneralia concilia sine jussu & voluntate Principum congregari non possunt; & quando congregata fuerint (quia cœtus hominum sunt, quorum omnes non Spiritu & verbo Dei reguntur) errare possunt, atque interdum errârunt, etiam in rebus ad Deum pertinentibus: quapropter ab illis constituta, tanquam ad salutem necessaria, neque robur habent, neque authoritatem, nisi declarari possit è sacris literis esse desumpta.

Objicitur, 1. *Ecclesia aliquando destituitur Principe fideli; tunc temporis tamen concilia possunt convocari.*

2. *Principes non nisi in Politicis eminere, & Principes Christianos non præsidere Christianis, quâ Christiani sunt, sed quâ homines sunt,*

nam Principes ipsi, quâ Christiani, oves sunt, ac propter pastoribus subjecti.

3. *Duos vel tres congregatos in nomine Christi obtinere semper quod petunt; multò magis Episcopos in concilio oratores, omnia necessaria obtinere, ut judicent ea, quæ pertinent ad Ecclesiam.*

4. *Ecclesiam totam non posse errare in fide.* Matth. 16. 10. *Concilium verò repræsentare Ecclesiam, & totam authoritatem Ecclesiæ esse formaliter in Prælatis, sicuti visus est in deulo.*

5. *Si non esset infallibile judicium Conciliorum, possent meritò revocari in dubium omnes hæreses damnatæ, an rectè fuerint damnatæ.*

Resp. 1. Articulus intelligendus est de illo tempore, quando Ecclesia non destituitur tali Principe.

2. Principes eminent in Ecclesiasticis, non ut Sacra faciant, sed ut facienda curent; Principes Christiani præsident Christianis, quâ

Chriſtiani; quia licet Principes ſint oves reſpectu actionum, quæ regimini Eccleſiaſtico interiùs ſerviunt, quales ſunt Verbi prædicatio, Sacramentorum adminiſtratio; attamen reſpectu externi Eccleſiæ regiminis Principes ſunt totius populi paſtores; Reges miniſtris ſubſunt in quibuſdam Eccleſiaſticis; at miniſtri ſubſunt regibus in omnibus civilibus.

3. Fideles non ſemper obtinent, quod petunt; & ſi obtineant, ſapientiâ & lumine perfectè non utuntur; ideòque ſæpè errant; licet Chriſtus nobis adſit, in hac vitâ, ex parte tantum cognoſcimus.

4. Licet Concilium repræſentet Eccleſiam, adminiſtri tamen & legati errare poſſunt, toto corpore non errante. Concilia ſunt tantùm pars Eccleſiæ; at non ſunt eadem privilegia partium, & totius. Qui non interſunt conciliis, habent dona particularia, per quæ vel Concilia corrigi poſſunt; nec totus Eccleſiæ

clesiæ visus est; in Episcopis concilio congregatis, cum extrà Concilium multi sunt Episcopi, non minùs quàm alii, videntes; imò singuli Christiani modo suo vident, quorum dona spernenda non sunt.

5. Hæreses non erant hæreses, quia ita declarârunt Concilia; sed quia ex verbo Dei ita declarârunt; ex quo sine dubio constare potest quænam hæreses rectè fuerint damnatæ.

ARTICUL. 22.

De Purgatorio.

DOctrina Romanensis de Purgatorio, de Indulgentiis, de cultu & adoratione tum imaginum, tum reliquiarum, nec non de invocatione sanctorum, res est futilis, inaniter excogitata, & nullis Scripturarum testimoniis innixa; imò potius Dei verbo repugnans.

Objicitur, 1. *Universalem penè esse gentium consensum, animas non continuò ad cœlum admitti, sed apud inferos purgari, & proinde non esse sententiam tam futilem.*

2. *Mentionem fieri ignis purgatorii,* 1 Cor. 3. 10, &c.

3. *Exstare in Ecclesia thesaurum satisfactionum Christi passionibus infinitum, qui nunquam exhauriri possit; ad hunc thesaurum pertinere etiam passiones Beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum, qui plus passi sunt, quàm eorum pœnæ requirerent; & Pastores Ecclesiæ ex hoc thesauro superabundanti, habere authoritatem dispensandi & indulgentias concedendi illis qui rei sunt luendæ pœnæ temporalis.*

4. *Imagines injuriæ & contumeliæ esse capaces; ergo honorem & cultûs.*

5. *Corpora sanctorum esse templa Spiritûs Sancti, & proinde adoranda.*

6. *A Rege aliquid petituros adhibere*

hibere interceſſores; & proinde multò magis qui ad Deum accedunt, debere hoc agere; cum ille ab hominum naturâ remotior ſit, ac iis ſuperior.

Reſp. 1. Conſenſus gentium habet locum in naturalibus, non ſupernaturalibus.

2. Vel ibi intelligitur ignis tribulationis, & tentationis; unde ignis hic non realis, ſed quaſi ignis dicitur; vel ignis probabit (i. e.) Spiritus Dei explorabit cujuſque opus, tanquam ſanctificator; alii intelligunt locum de igne conflagrationis mundi, & ſeveri judicii Dei.

3. Satisfactio Chriſti non applicatur per partes, ſed ſingulis & omnibus fidelibus tota; nihil hîc ſuperflui; deinde Beata Virgo & reliqui ſancti nil boni fecerunt; & nil paſſi ſunt, quod non erat ex debito; creatura ad Dei gloriam debet omnia ſumma facere, & pati; & quicquid fecerunt & ſuſtinuerunt,

eis abundè remuneratur ; & proinde non poteſt pro aliis eſſe ſatisfactorium ; præterea, authoritas quidquam pro arbitrio diſpenſandi non eſt Paſtoribus conceſſa.

4. Procedere poteſt argumentum ſenſu ſano, ſi non intelligatur de cultu religioſo.

5. Corpora ſanctorum honoranda ſunt honore licito, non adoranda cultu religioſo.

6. Similitudo inter reges terreſtres & Deum malè eſt adaptata ; illi enim audire vel nolunt, vel negligunt, vel non poſſunt ; tale verò nihil in Deo eſt, quia omnes ad ſe invitat, & non eſt ut homo, *Oſeæ* 11. 9. deinde interceſſor noſter apud Deum eſt Chriſtus.

ARTI-

ARTICULUS 23.

De administratione in cœtu publico.

NON est licitum cuiquam in se suscipere munus publicæ prædicationis vel administrationis Sacramentorum in cœtu publico, antequam ad hæc obeunda legitimè vocatus & missus fuerit; atque illos legitimè vocatos, & missos judicare debemus, qui ad hoc opus eliguntur, & vocantur ab hominibus, qui habent publicam sibi datam in Ecclesiâ authoritatem vocandi & mittendi ministros in vineam Domini.

Objicitur, 1. *Docuisse in primitivâ Ecclesiâ non paucos, qui non fuerant vocati, ut liquet exemplo dispersorum in persecutione Ecclesiæ, sequutâ mortem Stephani,* Act. 8. 4.

2. *Verè vocatum esse, qui idoneis ad docendum denis instructus est.*

3. *Pan-*

3. *Paulum describentem Episcopum, non meminisse vocationis*, 1 Tim. 3. Tit. 1. 4.

4. *Docere alios, opus esse charitatis*, Jac. 5. 19, 20. *ac ea propter specialem haud requirere vocationem.*

Resp. 1. Inter dispersos forsan fuerunt quidam vocati; si non, facile damus extraordinario persecutionum tempore licitum esse, sine vocatione ordinariâ publicè docere; non aliter.

2. Quanquam fundamentum veræ vocationis sint dona faciens hominem ad docendum aptum; accedere tamen debet donorum & vitæ per alios exploratio, & approbatio; antequàm in sacrum ordinem cooptentur.

3. Licet Paulus locis citatis non disertè meminit vocationis; ejus tamen alibi meminit, veluti ad *Romanos* 10. 15.

4. Non negamus esse opus charitatis alios docere; non tamen hinc sequitur unumquemque publicum docendi

cendi in Ecclesiâ munus citra specialem vocationem sibi arrogare posse, tum quia vocationis necessitatem Scriptura sæpenumerò urget, tùm quia hâc ratione copia concedi posset, & deberet mulieribus docendi in Ecclesiâ, contrà mentem Apostoli, 1 *Cor.* 14.34. 1 *Tim.* 2.12. tùm quia non pauci ad docendum inepti partes docendi in Ecclesiâ sibi sumpturi essent, vetante Apostolo, 1 *Tim.* 5. 12.

ARTICUL. 24.

De precibus in Ecclesiâ dicendis linguâ quam populus intelligit.

VErbo Dei & Primitivæ Ecclesiæ consuetudini planè repugnat, linguâ populo non intellectâ publicas in Ecclesiâ preces habere.

Objicitur, 1. *Populum ex mandato foris mansisse, & sacerdotem ingres-*

ingressum fuisse Sanctuarium, Lev. 16. 17. *de quo habemus exemplum*, Luc. 1. 20. *& proinde non necessarium esse, ut populus intelligat sacerdotem.*

2. *Si ea tantùm debet precari populus, quæ intelligit, tum nunquam debere recitare Psalmos aliáque in quibus non intelligit omnia.*

3. *Pietatem esse diminutam ab illo tempore, quo lingua vernacula in usu esse cœpit.*

4. *Ecclesias Asiæ minoris Græcâ linguâ in Sacris usas fuisse, at universum populum illam non intellexisse; quia sanato claudo loquebantur Lycaonicè*, Act. 14. 11. *&* Act. 2. *commemorantur varia lingua, quæ tùm in Asiâ fuêre, & quibus usi sunt Apostoli.*

5. *Unam linguam in omnibus Ecclesiis usurpatam, facere ad unitatem Ecclesiæ.*

6. *Divini officii finem esse, non instructionem populi, sed cultum Dei; Deum intelligere preces in linguâ ig-*

notâ.

notâ recitatas, & populum mentem habere devotam, quod satis est.

Resp. 1. Sacerdotem ingredientem Sanctuarium fuisse typum Christi, qui solus virtute suâ cœlum ingressus est, ubi orat pro nobis; deinde, cum sacerdos verba fecit ad populum, prolocutus est quæ ab omnibus poterant intelligi.

2. Si omnia ex Psalmis & aliis libris non possint plenè intelligi, quamplurima tamen possunt; nihil verò ab imperitis in versionibus & locutionibus Latinis intelligitur. Oratio est colloquium nostrum cum Deo, & ex nostro sensu nasci debet; atque ideò quantùm fieri potest, scire debemus ea, quæ inter precandum loquimur.

4. Pietas non est diminuta; loco stupidæ superstitionis, quæ olim fuit, jam in multis est vera pietas, licet Ecclesia sine multis profanis numquam fuerit; & si esset in multis diminuta, hoc tantùm foret per accidens quorundam improborum hominum vitio, sicuti Evangelium prædicatum

dicatum quamplurimis eſt odor mortis ad mortem; preces autem in linguâ vulgari non ſunt hujus impietatis cauſa.

4. Lycaonica lingua erat Græcæ dialectus, ſicut & multæ aliæ; & Apoſtoli his populis Græcè prædicârunt, quorum prædicationem ſine dubio intellexerunt.

5. Unitas Eccleſiæ non pendet ab unitate linguæ, ſed ab unitate doctrinæ.

6. Finis præcipuus divini officii eſt cultus Dei; ſed cum ædificatione populi, tanquam fine ſubordinato, conjunctus; populus autem ædificari non poteſt, ſi non intelligat, 1 *Cor.* 14. Deinde, finis conventûs publici non eſt, ut Deus intelligat, ſed ut totum cœtum approbet; nec ſatis eſt populo intelligere, quòd aliquid fiat ad laudem Dei; & mentem in genere habere devotam; ſed etiam diſtinctè intelligere debet, quid ſit, quod fit ad laudem Dei.

ARTI-

ARTICULUS 25.

De Sacramentis.

SAcramenta à Christo instituta, non tantum sunt notæ, vel indicia professionis Christianorum; sed potius sunt certa quædam testimonia & efficacia signa gratiæ atque bonæ erga nos voluntatis Dei; per quæ invisibiliter ipse in nobis operatur, nostramque fidem in se non solum vivificat, verum etiam confirmat. Duo à Domino nostro in Evangelio instituta sunt Sacramenta; Baptismus scilicet, & cœna Domini. Quinque illa vulgo vocata Sacramenta, sc. Confirmatio, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, & Extrema unctio, pro Evangelii Sacramentis habenda non sunt, quæ partim ex corrupta Apostolorum imitatione profluxerunt, partim vitæ status sunt in Scripturis probati; attamen similem Sacramentorum cum

Baptis-

Baptismo & Cœnâ Domini rationem non habent, cùm signum aliquod visibile vel cæremoniam à Deo institutam non habeant. Sacramenta non in hoc instituta sunt à Christo, ut spectarentur aut circumferrentur; sed ut ritè illis uteremur; & in iis duntaxat, qui dignè percipiunt, salutarem habent effectum & operationem; qui verò indignè percipiunt, damnationem (ut Paulus inquit) sibi-ipsis acquirunt.

Objicitur, 1. *Sacramenta ab Hypocritis usurpari, qui non credunt; & proinde non esse certa gratiæ testimonia.*

2. *Neque hanc vocem Sacramenti, neque binarium Sacramentorum numerum legi in Scripturis.*

3. *Confirmationis externum ritum esse impositionem manuum*, Act. 8. 17.

4. *Ritum Pœnitentiæ judicialem esse absolutionem*, Jo. 20. 23.

5. *Ritum Extremæ unctionis haberi unà cum promissione annexâ*, Jac. 5. 14.

6. *Ri-*

6. *Ritum Ordinis eſſe impoſitionem manuum*, 1 Tim. 4. 14.

7. *De Matrimonio haberi nomen ipſum Sacramenti*, Eph. 5. 32.

Objectiones contra ultimam hujus Articuli partem in Articulo 28. *& 29. habendæ ſunt.*

Reſp. 1. Ex judicio charitatis omnibus communicantur Sacramenta; certa ſunt tantùm gratiæ teſtimonia fidelibus & dignè percipientibus.

2. Licet vox *Sacramenti* in ſacris literis non habeatur, res per vocem deſignata ibi habetur; & Apoſtolus, 1 *Cor.* 10. hæc duo tantùm recitat Sacramenta; nec in ſacro codice, voce *Sacramenti* ſtrictè ſumptâ, plura reperiri poſſunt; & quidam docuerunt hæc duo fuiſſe indicata per aquam & ſanguinem, quæ manârunt ex Chriſti latere, *Jo.* 19.

3. Illa confirmatio per impoſitionem manuum, erat extraordinaria & Apoſtolis propria.

4. Nullus ibi præſcribitur ritus externus, nulla materia vel forma

Sacra-

Sacramenti, quia non est elementum à verbo distinctum; non ibi alio signo externo usus est Christus præter affationem.

5. Mandatum de Extrema unctione locum tantùm habuit, quando erat donum miraculorum in Ecclesiâ, & ad miraculosam ægrotorum sanationem spectabat.

6. Impositio manuum non est Ordinationi Sacræ essentialis, quia non semper fuit adhibita; Matthias sine illa subrogatus erat in locum Judæ, *Act.* 1. Apostoli sine illa fuerunt inaugurati, *Matth.* 10. *Marc.* 3. Et mirum est quòd Pontificii impositionem manuum Sacramentalem ritum velint esse tam in Ordine, quàm Confirmatione. Inauditum est in Scripturis ut unum & idem signum sit in duobus Sacramentis.

7. Non vult Apostolus matrimonium esse propriè Sacramentum, sed mysterium, cujus generis sunt quamplurima.

ARTI-

ARTICULUS 26.

De Ministrorum indignitate, quæ Sacramentorum efficaciam non tollit.

QUamvis in Ecclesiâ visibili bonis mali semper sint admixti, & aliquando mali in Administratione Verbi & Sacramentorum summam habeant authoritatem; attamen cum non suo sed Christi nomine illud agant, ejusque mandato & authoritate ministrent, ministerio illorum uti possumus, cum in verbo Dei audiendo, tum in Sacramentis percipiendis; neque per illorum malitiam effectus institutci Christi tollitur, nec gratia donorum Dei diminuitur respectu illorum, qui fidei & rite Sacramenta sibi ab iis ministrata percipiunt, quæ propter institutionem & promissionem Christi efficacia sunt, licet per malos ministrentur; Ad Ecclesiæ tamen disci-

plinam

plinam pertinet, ut de malis ministris inquisitio fiat, & ut accusentur ab his, qui eorum flagitia noverint, tandemque justo convicti judicio, ut noxii, deponantur.

Objicitur, 1. *Neminem dare, quod non habet; impios vero ministros non habere gratiam & remissionem peccatorum; atque ideò efficaciter non administrare Sacramenta, per quæ hæc obtinemus.*

2. *Improbo seu impio dixisse Deum, Quare tu enarras decreta mea, & assumis fœdus meum in ore tuo? cum tu oderis disciplinam & verba mea projeceris post te,* Psal. 50. 16, 17. *& cum Deus nollet impios Sacra administrare, videtur ministerium eorum esse inutile.*

3. *Hominem in aliquo delicto præoccupatum, in spiritu lenitatis restituendum esse,* Gal. 1. 6. *multo magis itaque ministrum propter reverentiam personæ, & proinde non debere castigari, & à loco deponi.*

Resp. 1. Minister dona cœlestia

non

non dat efficaciter, ut causa efficiens Principalis, sed instrumentaliter; effectus autem non debet esse similis instrumento, sed causæ primæ; deinde non propriè dat eadem dona, sed signa tantum externa: Hinc Deus dicitur corda circumcidere, *Deut.* 3. 6, & Christus spiritu sancto baptizavit, Joannes verò aquâ, *Matth.* 3. 11.

2. Psalmus 50 non agit peculiariter de ministris, sed de populo Judaico, quem Deus castigat, quòd legem semper in ore haberet, & in Sacrificiis offerendis multus esset, & tamen impiè viveret, qualis cultus penitùs improbatur; si verò locus ministris applicetur, dici potest, ministerium impuram vitam agentis, non esse Deo gratum respectu personæ administrantis, & quatenus est opus operantis; posse tamen esse efficax & frugiferum respectu auditorum, & quatenus est opus operatum.

3. Impii ministri sæpius monendi;

di; si vero monitis non omnino obtemperent, denuò deponi possunt & debent.

ARTICUL. 27.

De Baptismo.

BAptismus non est tantùm professionis signum, & discriminis nota, quâ Christiani ab aliis non Christianis discernuntur; sed etiam est signum Regenerationis vel novæ nativitatis, per quod tanquam per instrumentum, rectè Baptismum suscipientes Ecclesiæ inseruntur, promissiones de remissione peccatorum atque adoptione nostra in filios Dei per Spiritum sanctum, visibiliter obsignantur, fides confirmatur, & virtute divinæ invocationis augetur gratia. Baptismus parvulorum omnino in Ecclesiâ retinendus est, ut Christi institutioni maximè congruens.

Objicitur, 1. *Deum gratiam conferre*

ferre quâ quis Ecclesia inseratur, & quosdam fuisse membra Ecclesiæ ante perceptum Baptismum; nempè Thesaurarium Reginæ Candaces, Act. 8. *& Cornelium Centurionem,* Act. 10. *qui etiam piis operibus ostendebant se esse regeneratos, ac eapropter, quòd quis Ecclesiæ inseratur, vel quòd hoc significetur, non necessariò attribui Baptismo.*

2. *Promissiones divinas esse in se certissimas, ac eapropter non egere ullâ à Sacramentis confirmatione.*

3. *Spiritum sanctum esse, qui certitudinem promissionum divinarum pectoribus ingeneret.*

4. *Fidem, quam prædicant Evangelici, excludere omnem dubitationem; atque ideò confirmatione per Sacramenta non egere.*

5. *Infantes non esse baptizandos, quia Christus,* Matth. 28. 19. *jubet, ut prius doceamus, postea baptizemus; infantes verò non posse doceri.*

6. *Eos, qui non credunt, à Baptismo esse arcendos; infantes autem*

non credere, quia nullam habent boni vel mali cognitionem, Deut. 1. 39.

Resp. 1. Quamquam Deus salutis sit causa princeps, hoc non impedit quò minùs Baptismus sit medium, quo Deus in salute conferenda utatur; deinde, Baptismus infantibus primus est in Ecclesiam ingressus, licet non adultis, de quibus in exemplis allatis; nec tamen suo caret fructu Baptismus in adultis, quippe fidem confirmans; præterea, bona opera multos fuisse fideles testabantur, non solenniter tamen, veluti publicus in Ecclesia Baptismus.

2. Promissiones in se certissimæ sunt, at respectu nostri egent confirmatione.

3. Spiritus Sanctus certos nos facit, sed Verbi & Sacramentorum interventu.

4. Fides, quam nos prædicamus, excludit omnem dubitationem respectu objecti, non respectu subjecti; novimus Christum esse omnipoten-

potentem, & fidelem, licet nos simus infirmi; fidem languidam novimus esse veram; illam tamen quæ minùs obnoxia est dubitationi, esse perfectiorem, atque homines adipisci ampliorem fidei mensuram, per Baptismum & alia media, non dubitamus.

5. Locus de adultis intelligendus est, qui doctrinæ capaces erant, non de infantibus; deinde μαθητεύσατε propriè non significat *docete*, sed *discipulos facite*, quod & de infantibus dici potest. Infantes Judæorum sine institutione circumcisi fuerunt; eadem est ratio de infantibus Christianorum.

6. Loci citati agunt de adultis; deinde, fides parentum pro infantibus satis esse putatur; cur non debet iis sufficere fides aliena, quemadmodum obfuit iis peccatum alienum?

ARTICUL. 28.

De Cœna Domini.

COena Domini non tantùm eſt ſignum Charitatis, quam Chriſtiani habere inter ſe invicem debent; verùm potius Sacramentum eſt noſtræ per mortem Chriſti redemptionis, adeò ut ritè, dignè, & cum fide eandem ſumentibus, panis, quem frangimus, eſt Communicatio corporis Chriſti; & ſimiliter calix benedictionis, eſt ſanguinis Chriſti communicatio. Tranſubſtantiatio, vel ſubſtantiæ panis & vini in cœna Domini mutatio, ex ſacris literis probari non poteſt, ſed manifeſtis Scripturæ dictis adverſatur, Sacramenti naturam evertit, & multarum ſuperſtitionum dedit occaſionem. Corpus Chriſti datur, accipitur & manducatur cœleſti tantùm & ſpirituali ratione; medium autem quo corpus Chriſti accipitur

& manducatur in cœna, fides est. Sacramentum cœnæ domini ex Christi institutione non servabatur, circumferebatur, elevabatur, nec adorabatur.

Objicitur, 1. *Transubstantiationem fundatam esse in verbis institutionis*, Matth. 26. 26. *Quippe præ se ferunt veram mutationem panis & vini.*

2. *Id ad manducandum, & bibendum, exhibitum fuisse à Christo discipulis, quod pro nobis datum, & quod pro nobis in remissionem peccatorum effusum est: at non panem, sed Corpus Christi datum fuisse; non vinum, sed sanguinem Christi effusum fuisse; & proinde verum corpus & verum sanguinem Christi exhibitum fuisse, quod fieri non potuit sine mutatione substantiali panis in Corpus, & vini in sanguinem ejus.*

3. *Verba institutionis propriè esse intelligenda, quia sunt Verba Testamenti, & Christus moriturus apud rudes discipulos illa protulit.*

4. *Christum esse omnipotentem, atque*

que ideò ſuum corpus poſſe offerre in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis & vini.

5. *Corpus & ſanguinem Chriſti corporaliter eſſe in Euchariſtia; aliter, figuratum, videlicet cœna, non eſſet ſuis figuris præſtantius; nempe Agno Paſchali, Manna & ſanguine illo, quo vetus Teſtamentum ſancitum fuit; quæ omnia corporaliter exhibita fuerunt.*

6. *Veteres Euchariſtiam reſervâſſe.*

7. *Euchariſtiam religiosè circumgeſtandam eſſe in publicis proceſſionibus, quia Arca fœderis, quæ fuit hujus rei typus, ſic fuit circumgeſtata,* 2 Sam. 6. 8.

8. *Quoſdam Patres teſtari de Hoſtiæ elevatione.*

9. *Corpus & ſanguinem Chriſti eſſe adoranda; Euchariſtiam autem conſtare ex corpore & ſanguine Chriſti; atque eapropter eſſe adorandam.*

Reſp. 1. In Sacra cœna eſt mutatio, ſed Sacramentalis, non ſubſtantialis.

2. Ap-

2. Appellatur verum Christi corpus, & verus Christi sanguis, sed quasi secundariò & repræsentativè; sic dicimus de imagine Cæsaris, Hic est Cæsar, qui vicit Pompeium.

3. Verba Testamentorum possunt esse clara, etiamsi figurata; omnis tropus non est obscurus; est enim aliquando lumen orationis; habetur etiam tropus, *Luc.* 22. 20. ubi calix dicitur esse Novum Testamentum; nec discipulorum ruditas debuit impedire locutionem in omnibus Sacramentis usitatam, quia semper aliquid significant.

4. A posse ad esse non valet consequentia; non quæritur quid possit Christus, sed quid velit; præterea Christus omnia potest quæ non implicant contradictionem; at implicat, unum & idem corpus simul esse in cœlo & in Sacramento.

5. Agnus Paschalis & Manna erant præcipuè figuræ Christi, qui est res significata in cœna, non ipsius cœnæ,

6. Non quæritur quid veteres fecerunt, ſed quid Chriſtus & Apoſtoli; Veteres fortaſſe aſſervabant Sacramentum ad communionem ægrotorum abſentium, non ad adorationem.

7. Erat mandatum vel indultum de Arca circumgeſtanda vel tranſferenda; quæ etiam cultu civili erat honorata, non divino adorata; nil tale habemus de pompoſa & idololatrica Euchariſtiæ circumgeſtatione.

8. Non refert quid quidam Patres, & præcipuè recentiores, fecerint; attendendum eſt, quid Dominus fecit aut dixit.

9. Corpus & ſanguis Chriſti eſſent procul dubio adoranda, ſi modò forent in Euchariſtia cum deitate conjuncta; at non ità ſe res habet.

ARTI-

ARTICUL. 29.

De impiis, qui Christi Corpus non manducant in usu Eucharistiæ

IMpii & fide vivâ destituti, licet carnaliter & visibiliter (ut sanctus *Augustinus* loquitur) corporis & sanguinis Christi Sacramentum dentibus premant, nullo tamen modo sunt Christi participes; sed potius in propriam condemnationem tantæ rei signum vel Sacramentum manducant & bibunt.

Objicitur, 1. *Integritatem Sacramenti non pendere à fide sumentis, sed ab authoritate instituentis; & proinde per incredulitatem hominis non posse immutari vel evacuari.*

2. *Judam edisse corpus Domini, & bibisse sanguinem domini; Marcum testari omnes bibisse ex calice benedicto,* Marc. 14. 23. *Lucam scripsisse, Christum peractâ cœnâ hæc verba*

protuliſſe, Ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa, Luc. 22. 21.

3. *Paulum docere indignos eſſe reos corporis & ſanguinis Chriſti, tanquam irreligiosè perceptorum*, 1 Cor. 11. 27.

Reſp. 1. Sacramenti latè accepti integritas pendet ab utroque.

2. Quidam negant Judam Sacræ cœnæ interfuiſſe, nedum de ea participâſſe; utcunque ſe res habeat, ſi modò interfuit, ſignum tantùm & panem Domini, ut reliqui Hypocritæ, non ſignatum & panem Dominum, accepit.

3. Apoſtolus docet impios fieri reos corporis Chriſti, non quòd illud verè accipiant, ſed quia non diſcernunt, hoc eſt, non conſideratâ cibi dignitate, accedunt ad hanc menſam ſine reverentia & timore.

ARTI-

ARTICUL. 30.

De utraque specie.

CAlix Domini laicis non est denegandus; utraque enim pars Dominici Sacramenti ex Christi institutione & præcepto omnibus Christianis ex æquo administrari debet.

Objicitur, 1. *Nullum esse præceptum quo laici ad utramque speciem obligentur: Christum solummodò dixisse discipulis, Accipite, Comedite, bibite.*

2. *Christum unius speciei usum verbis probâsse, ubi promittit vitam æternam manducantibus illius carnem, nullâ factâ potationis mentione.*

3. *Christum facto suo unius speciei usum approbâsse,* Luc. 24. 30. *ibi namque duobus discipulis in Emmaus sub sola specie panis Eucharistiam porrexit,*

4. *Abstemios excludendos fore ab Eu-*

Euchariſtia, & populos apud quos non eſt vinum, ſi communio ſub una ſpecie celebrari non poſſet.

Reſp. 1. Præceptum eſſe quo laici obligentur, in inſtitutione Chriſti; licet non explicitum, implicitum tamen; & ab Apoſtolo, 1 *Cor.* 11. 26. & 28, explicatum & declaratum; quod Chriſtus diſcipulis dixit, id ab Apoſtolo de tota intelligitur Eccleſia, totique cœtui Corinthiaco injungitur.

2. Joannis ſexto, de Spirituali manducatione propriè agitur; panis fit mentio ſeorſim in relatione ad Manna, de quo tanquam de pane Cœleſti gloriabantur Judæi, ver. 31. In eodem capite, & ejuſdem rei explicatione, quater à Domino conjunguntur caro & ſanguis, ut cibus & potus neceſſarius, ver. 53. 54. 55. 56.

3. Vel Lucas agit de cœna vulgari, non de Sacramento Euchariſtiæ, vel panis Synecdochicè pro tota refectione ponitur.

4. Ca-

4. Caſus ſpeciales non præjudicant regulæ univerſali; ſed excipiuntur quidam, ut ſunt abſtemii, & illi qui vinum comparare non poſſunt; licet vix ulla ſit mundi plaga, in qua tanta ſit vini penuria, ut illud in uſum adeò ſacrum non poſſit parari. Chriſtus prævidit hæc, quæ dicuntur incommoda; nec tamen ullam mutilationem permiſit.

ARTICUL. 31.

De unica Chriſti oblatione in cruce conſummatâ.

OBlatio Chriſti ſemel facta, perfecta redemptio eſt, propitiatio & ſatisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tam Originalibus quàm Actualibus; & nulla eſt alia pro peccato ſatisfactio, niſi unica illa; quapropter Miſſarum ſacrificia, quibus vulgò dicebatur, ſacerdotes Chriſtum pro vivis & mortuis

tuis obtuliſſe, ut remiſſionem pœnæ vel reatûs haberent, Blaſphema figmenta, & perniciosæ fuerunt Impoſturæ.

Objicitur, 1. *Oblationem Chriſti factam fuiſſe tantùm pro multis*, Matth. 20. 28. *& pro ovibus, hoc eſt, pro Electis*, Joh. 10. 15.

2. *Orationem, jejunium, Eleemoſynam & pœnas temporales, eſſe pro peccato ſatisfactiones.*

3. *Oblationem Chriſti factam in Cruce, repræſentandam eſſe in cœna.*

4. *Miſſam eſſe ſacrificii Chriſti applicationem.*

5. *Prophetas prædixiſſe ſacrificium perpetuum futurum eſſe in Eccleſia*, Mal. 1. 11. Eſa. 66. 23.

6. *Chriſtum dixiſſe*, Hoc facite in mei commemorationem, *id eſt, hoc ſacrificate; vocem* Facere, *hoc ſenſu ſæpiſſimè ſumi, veluti in illo, Cum faciam vitulâ* —— *apud Virgilium*; & Lev. *cap.* 15. 15. 1 Reg. 18. 23. Oſeæ 2. 8. *& alibi in Vulgatæ verſione.*

Reſp.

Reſp. 1. Chriſtum mortuum fuiſſe pro multis, & pro ovibus vel Electis, non denegandum eſt; ſed hinc conficere mortem Chriſti non fuiſſe in ſe pretium ſufficiens pro omnibus, vaniſſima eſt illatio; tum quiâ hæc vox *multi*, non raro æquivalet voci *omnes*, *Dan.* 12. 2, *Rom.* 5. 19. tum quia dignitas mortis Chriſti tanta in ſe fuit, ut non ſolùm genus humanum à Deo conditum, ſed etiamſi Deus plures mundos creaſſet, pro omnibus plenè ſatisfacere potuiſſet; licet mundus tantùm credentium ſalutem per illius mortem conſequatur.

2. Quicquid bonorum operum præſtare, & quicquid pro gloria Dei pati poſſumus, id totum & facere & pati tenemur jure creationis, redemptionis, & præcepti divini, *Luc.* 17. 19, *Eph.* 2. 10. *Tit.* 3. 1. Extremè autem temerarium foret debitum debito diſſolvere velle; deinde, pœnæ temporales non ſunt ſatisfactiones, ſed divinæ caſtigationes

tiones, quas etiam Deus avertit, si homines resipiscant; non quòd illi satisfaciant, sed quòd veram eorum respicit fidem.

3. Oblatio Christi cruenta repræsentanda est, non per aliam oblationem incruentam, sed per panis fractionem & vini effusionem.

4. Sacrificium Christi solâ fide applicatur.

5. Sacrificia Ecclesiæ Novi Testamenti, sunt Eucharistica, & Spiritualia, quæ duratura sunt.

6. Latini conciso loquendi genere utuntur, & *facere* pro rem divinam facere ponunt; *facere* autem hoc loco non significat sacrificare, quia refertur ad actiones Christi, de quibus non propriè dicitur, quòd sunt sacrificandæ; deinde, hoc non solùm Ministris, sed etiam laicis communicantibus dicitur, ut patet ex expositione Apostoli, 1 *Cor.* 11. 26. atqui hi consecrandi potestatem non habent.

ART. I.

ARTICUL. 32.

De Conjugio sacerdotum.

EPiscopi, Presbyteri & Diaconi non lege divinâ jubentur, vel cœlibatûs statum vovere, vel à matrimonio abstinere; ergo illis etiam licitum est, veluti omnibus aliis Christianis, sicuti hoc ad pietatem melius inservire judicaverint, pro suo arbitratu matrimonium contrahere.

Objicitur, 1. *Conjugium impedire actiones sacras; ideò in veteri Testamento summus pontifex & sacerdotes à consuetudine conjugali jussi sunt abstinere, quoties sacris operari debebant,* Exod. 19. 15. & 28. 4.

2. *Imperari conjugatis, ut ad tempus à mutua consuetudine abstineant, idque ut precibus eò ardentiùs vacare possint,* 1 Cor. 7. 5. *quare cùm sacerdotibus orationi & sacrificiis*

crificiis quotidiè inſiſtendum ſit, manifeſtum eſſe imperari ipſis perpetuam continentiam.

3. *Cœlibes potiùs quàm conjugatos, poſſe curare illa quæ ſunt Domini*, 1 Cor. 7. 32.

Reſp. 1. Abuſus conjugii, non ipſum conjugium, impedit actiones ſacras. *David* uxoratus ſepties in die orabat, in lege Dei meditationem habuit interdiu & noctu: abſtinentia illa veteris Teſtamenti ſacerdotibus præcepta, dicitur fuiſſe cæremonialis, & certo tempore requirebatur etiam in laicis, quò etiam pertinet abſtinentia à vino & ſicera, quæ imperabatur ſacerdotibus in officio ſacro verſantibus; utcunque ſe res habuit, convenit proculdubiò, ut non ſoli Paſtores, ſed & quivis Chriſtiani à tali conſuetudine conjugali abſtineant, quæ Dei cultum impedire poſſit.

2. Apoſtolus de oratione extraordinaria, quæ jejunium habet conjunctum, loquitur; talibus autem oratio-

orationibus ſacrati homines quotidiè non inſiſtunt; hâc ratione etiam omnibus Chriſtianis abſtinendum eſſet perpetuò a nuptiis; omnibus enim dicitur, Indefinenter orate, 1 *Theſ.* 5. 17.

3. Apoſtolus non diſputat de ſolis ſacri ordinis hominibus, ſed de quibuſvis Chriſtianis, quibus etiam hâc ratione vita cœlebs vivenda eſſet; deinde licet conjugium habeat moleſtias, habet tamen ſuas utilitates; atque uxor pia in auxilium, non impedimentum, tam in vita ſpirituali, quàm in re familiari datur; cœlibatus igitur præfertur conjugio, quando Eccleſia variis perſecutionibus eſt obnoxia, & ſi quis habeat donum continentiæ; non itaque hinc exſtrui poteſt regula generalis de cœlibatu ab aliquo ordine præcisè obſervando; quapropter etiam Apoſtolus dicit, 1 *Cor.* 7. 28. Quòd ſi uxorem duxeris, non peccâſti; locus igitur adductus noſtræ non obeſt cauſæ.

ARTI-

ARTICUL. 33.

De Excommunicatis, quomodò vitandi.

QUI per publicam Ecclesiæ denuntiationem ritè ab unitate Ecclesiæ præcisus est, & excommunicatus, ab universa fidelium multitudine, tanquam Ethnicus & Publicanus habendus est; donec per pœnitentiam publicè reconciliatus sit, & à Judice authoritatem ad illud habente in Ecclesiam re-admissus fuerit.

Objicitur. 1. *Christum dixisse* Matth. 13. 39. *Sinite simul utraque crescere usque ad messem; quod intelligendum est de piis & impiis: & proinde impios non debere excommunicari.*

2. *Deum in veteri Testamento voluisse omnes celebrare Paschа,* Num. 9. 10.

3. Joannem *Baptizâsse progeniem viperarum,* Luc. 3. 7.

4. *Ho-*

4. *Homines non posse excludere è regno Dei, & detrudere in Gehennam.*

5. Paulum *dixisse de illo qui verbo ejus nollet omnino obtemperare, talem non quasi inimicum existimandum esse, sed monendum ut fratrem,* 2 Thes. 3. 14, 15. *fratrem autem tanquam Ethnicum & Publicanum non habendum esse.*

Resp. 1. Christus loquitur de Hypocritis, qui non possunt discerni à verè piis; vel discernit officium Ministrorum, & Magistratus: Sinite crescere, id est ne interficite.

2. Voluit Deus omnes, qui erant membra populi sui, celebrare Pascha, *Exod.* 12. 43. de contumacibus mandatum erat, ut tollerentur, *Num.* 15. 30. Immundi arcebantur, *Num.* 9. 6. sub immunditie autem cæremoniali figurabatur immundities moralis.

3. Etsi progenies viperarum illi erant, quos Joannes baptizavit; tamen non amplius erant viperæ

cum

cum baptizarentur, saltem professione.

4. Ecclesia neminem condemnat, sed judicio Dei, illud juxta præscriptum Verbi promulgando subscribit, traditque Satanæ, non propriâ authoritate, sed nomine Christi, 1 *Cor.* 5. 4.

5. Excommunicati vocantur fratres partim professione, & quia fuerunt fratres, 1 *Cor.* 5. 11, partim spe, quia resipiscens rursus debet fieri frater; partim dilectione & studio eum servandi, quòd debet esse finis excommunicationis; præterea, non dixit Apostolus, Habete eum pro fratre, sed Monete ut fratrem.

ARTI-

ARTICUL. 34.

De Traditionibus Ecclesiæ.

TRaditiones atque cæremonias easdem, aut prorsùs consimiles, non necessarium est esse in omnibus locis; nam & variæ semper fuerunt, & mutari possunt pro regionum, temporum, & morum humanorum diversitate, modò nihil contra Dei Verbum instituatur. Quisquis ex privato judicio, volens & datâ operâ, publicè violaverit Traditiones & Cæremonias Ecclesiæ, quæ cum verbo Dei non pugnant, & sunt authoritate publicâ institutæ & probatæ, is publicè redargui debet (ut alii timeant, ne tale quid agant) cum sit peccans in publicum ordinem Ecclesiæ, lædatque Magistratûs authoritatem, & fratrum infirmorum conscientias vulneret: Quælibet Ecclesia particularis, sive nationalis authoritatem

ritatem habet inſtituendi, mutandi, & abrogandi cæremonias, vel ritus Eccleſiæ humanâ tantùm authoritate inſtitutos, modò omnia ad ædificationem fiant.

Objicitur, 1. *Chriſtianos ſecundùm eandem regulam ambulare debere, atque inter illos ſummum habere conſenſum, ut colligi poteſt ex* Gal. 6. 16. 1 Pet. 3. 8. *& proinde eaſdem cæremonias in omnibus locis eſſe neceſſarias.*

2. *Chriſtum dixiſſe, Peccantem redargue inter te & illum,* Matth. 10. 15. *ergo non eſſe publicè ab aliquo reprehendendum.*

3. *Apoſtolum hortari Titum ut contentiones devitet,* cap 3. 9. *atque ideò illos non eſſe redarguendos, qui Traditionibus Eccleſiæ contradicunt.*

4. *Eundem Apoſtolum Theſſalonicenſibus præcepiſſe, ut Traditiones tenerent,* 2 Theſ. 2. 15. *atque idcircò Eccleſiam illam non habuiſſe authoritatem illius traditiones mutandi vel abrogandi.*

Reſp.

Resp. 1. Rituum varietas Ecclesiæ unitatem non tollit; modò fideles secundum eandem doctrinæ regulam ambulent.

2. Locus agit de officio privatorum ob peccata privata in privatos commissa; non de officio Pastorum in redarguendis peccatis publicis & cum publico scandalo commissis, quæ publicè arguenda sunt.

3. Inutiles disputationes & colloquia verbosa sine ædificatione, vitanda sunt, quia inanes illæ contentiones nullum in se perversum lucrifaciunt, sed potius in errore confirmant; interim Pastores cum omni prudentia, patientia & sobrietate contradicentes redarguere possunt, si modò in bonum aliorum hoc tendat.

4. Traditiones, de quibus Apostolus, vel erant doctrinales & Sacris literis consignatæ; vel si non, ab Apostolo erant institutæ, qui à Domino accepit, quæ tradidit illis;

Articulus vero loquitur de Traditionibus iis quæ solâ & ordinariâ hominum authoritate prius institutæ fuerunt.

ARTICUL. 35.

De Homiliis.

HOmiliarum liber secundus, quarum singulos titulos huic Articulo subjunximus, continet piam & salutarem doctrinam, & his temporibus necessariam, veluti prior liber Homiliarum, quæ editæ sunt tempore *Edvardi* sexti; itaque à Ministris in Ecclesia diligenter & distinctè, ut à populo intelligi possint, recitandas esse decernimus.

De Homiliarum titulis.

1. De recto Ecclesiæ usu.
2. Adversus idololatriæ periculum.

3. Ad-

3. De templis reparandis & nitidè servandis.

4. De bonis operibus; primò de jejunio.

5. Adversus gulam, & ebrietatem.

6. Adversus vestium luxum.

7. De oratione.

8. De loco & tempore orationis.

9. Quòd preces publicæ & Sacramenta linguâ notâ administrari debent.

10. De veneranda verbi Divini æstimatione.

11. De Eleemosyna.

12. De Christi Nativitate.

13. De Christi Passione.

14. De Christi Resurrectione.

15. De digna Sacramenti corporis & sanguinis Christi perceptione.

16. De Spiritûs Sancti donis.

17. Pro Rogationum diebus.

18. De statu matrimonii.

19. De Pœnitentia.

20. Adversus otium.

21. Adverſus inſurrectionem.

Objicitur, 1. *Doctrinam Homiliis comprehenſam, non eſſe his temporibus neceſſariam, quia miniſtrorum copia eſt, qui verbum Dei vivâ voce prædicare poſſunt, & ſolent.*

2. *Miniſtro Evangelii planè eſſe indignum hortatiuncula ex alterius præſcripto verbatim recitare; iſtud enim officium vel puerulus obire poteſt.*

3. *Neminem poſſe advocati vel Medici munus tueri, formulas præſcriptas recitando; Miniſtrum autem eſſe Advocatum & Medicum Spiritualem, qui doctrinam applicare debet pro perſonarum & temporis ratione, quod non fit, nec fieri poteſt, dum leguntur præſcripta verba perſcriptæ ab aliis Homiliæ.*

Reſp. 1. Articulus præcipuè loquitur de primo reformationis initio, quando virorum, qui ad Miniſterium idonei eſſent, major erat defectus; deinde, ſi de his temporibus maximè loquatur, quamplurimæ

rimæ ſunt Eccleſiæ, quæ docto concionatore, quod ſanè dolendum eſt, carent; prætereà, ea eſt quorundam in concionibus habendis negligentia, ità ut Homiliam audire potiùs quàm eorum conciones, ſit utilius.

2. Indignum eſt Miniſtro Evangelii hortatiunculas ex præſcripto cujuſlibet privati recitare; non tamen indignum, ſi fiat ex præſcripto Eccleſiæ; neque indignum eſt Miniſtro illud agere, quod quidam pueri poſſunt, veluti preces publicas & capita ex Bibliis recitare.

3. Si Medicus vel Advocatus aliquid ex libris recitarent, auditor ſanitatem & ſanum conſilium pro ſe vel pro aliis adipiſci poſſet; ſic ſe habet in divinis, licet Miniſterium eorum ſit efficacius, qui applicandi verbum Dei pro circumſtantiárum varietate facultatem habent; deinde, quæ in Homiliis continentur, ut plurimùm omni tempore conveniunt; alia autem tempori cuidam

ita applicantur, ut nemo ferè ſit, qui quando legenda ſunt, non facilè intelligere poſſit: Lectores autem magno uſui eſſe poſſunt, ubi meliùs inſtructi non habentur Miniſtri.

ARTICUL. 36.

De Epiſcoporum, & Miniſtrorum conſecratione.

Liber de Conſecratione Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, & Ordinatione Presbyterorum & Diaconorum, editus nuper tempore Edvardi ſexti, & Authoritate Parliamenti illo ipſo tempore confirmatus, omnia ad ejuſmodi conſecrationem & ordinationem neceſſaria continet, & nihil habet quod ex ſe ſit aut ſuperſtitioſum, aut impium; atque idcircò quicunque juxta ritus illius libri conſecrati aut ordinati ſunt, ab anno ſecundo prædicti

dicti Regis Edvardi, uſque ad hoc tempus, aut poſthâc juxta eoſdem ritus conſeçrabuntur aut ordinabuntur, omnes illos ritè atque ordinatè & legitimè eſſe & fore conſecratos atque ordinatos ſtatuimus.

Objicitur, 1. *Nos nullibi in ſacris literis de Archiepiſcopis legere.*

2. *Impium eſſe hoc, quod Epiſcopus dicat unicuique eorum qui ordinantur, Accipito Spiritum Sanctum, ac ſi ille poteſtatem haberet conferendi Spiritum Sanctum, quod Chriſto proprium eſt, & divinæ ſuæ virtutis ſpecimen erat miraculoſum; mortalium verò neminem hoc poſſe ſibi arrogare, nec debere imitari.*

3. *Primos illos Epiſcopos & Miniſtros non fuiſſe ritè ordinatos, quia non ordinati fuerunt ab aliis Epiſcopis, qui continuatam haberent à præcedentibus Epiſcopis legitimè vocatis ſucceſſionem, & quia in ſolennitate conſecrationis & ordinationis non erant ritus debiti.*

Reſp. 1. Archiepiſcopus nihil a-

liud eſt quam Epiſcoporum ſupremus, qui Epiſcopis aliis præeſt; & licet hæc vox in ſacris literis non habeatur, inde tamen conſtat propter εὐταξίαν in Eccleſia conſervandam, quòd utile ſit ac conſultum, conſtitui in Eccleſia diſparis dignitatis ac authoritatis gradus. In veteri Teſtamento erat ſummus Sacerdos, & Sacerdotes ſecundi ordinis; in novo erant Apoſtoli, Prophetæ, Evangeliſtæ, Paſtores, Doctores; Et verbo Dei non repugnat, unum aliquem regiminis causâ aliis eſſe ſuperiorem.

2. Epiſcopus non dicit, Accipito Spiritum Sanctum, quaſi poſſet dona Spiritûs Sancti interna modo extraordinario conferre; ſed quia confert miniſterium externum ordinarium, cujus Spiritus Sanctus author eſt: Sicuti etiam dicit, Authoritatem accipe prædicandi Evangelium, *&c.*

3. Primi noſtri Epiſcopi ordinati fuerunt à Pontificiis, qui licet doctrinæ

doctrinæ puritatem apud ſe non habuerint, non tamen ordinandi facultatem amiſerunt; Baptizati ab Hæreticis, exiſtimantur eſſe verè Baptizati: eadem autem eſt ratio eorum qui ab iis ordinantur; Phariſæi Cathedram Moſis occupârunt, & Judas Apoſtolatûs munus obivit; nec fruſtra; quia non à Miniſtrantis ſinceritate, ſed ab inſtituentis authoritate, effectus dependet ſalutaris; ritus autem erant Scripturæ Sacræ congruentes; res tota ex faſtis & noſtratium ſcriptis conſtare poteſt. Si dicat aliquis, Pontificios non fuiſſe legitimè vocatos, & proinde noſtros non potuiſſe ab illis ritè ordinari; Dicendum, vocationem eorum quoad eſſentiam fuiſſe legitimam; quia & illi vocati fuerunt ad docendam veritatem; licet accidentia fuerint illegitima; neque potuerunt noſtros vocatione ſuâ privare, licet non ad placitum & guſtum Eccleſiæ Romanæ docuerint; obedire enim opor-

tet Deo, plus quàm hominibus. Reſpondent quidam, poſſe Magiſtratum & populum fidelem conſtituere & eligere Epiſcopos & paſtores, in caſu præſertim neceſſitatis; deinde, ſucceſſionem ab Apoſtolis, non præcipuè perſonalem, ſed doctrinalem requiri.

ARTICUL. 37.

De Civilibus Magiſtratibus.

REgia majeſtas in hoc Angliæ Regno, & cæteris ejus dominiis, ſummam habet poteſtatem, ad quam omnium ſtatuum hujus regni, ſive illi Eccleſiaſtici ſint, ſive civiles, in omnibus cauſis ſuprema gubernatio pertinet, & nulli externæ jurisdictioni ſubjecta eſt; nec eſſe debet. Quum Regiæ majeſtati ſummam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundam Calumniatorum of-

ſendi,

fendi, non damus principibus noſtris, aut verbi Dei aut Sacramentorum adminiſtrationem; quod etiam Injunctiones ab *Elizabetha* Regina noſtra nuper editæ, apertiſſimè teſtantur; ſed eam tantùm prærogativam, quam in Sacris Scripturis à Deo ipſo omnibus piis principibus videmus ſemper fuiſſe attributam, hoc eſt, ut omnes ſtatus atque ordines fidei ſuæ à Deo commiſſos, ſive illi Eccleſiaſtici ſint, ſive civiles, gubernent; contumaces autem & delinquentes gladio civili coerceant. Epiſcopus Romanus nullam habet juriſdictionem in hoc Regno Angliæ. Leges Regni poſſunt Chriſtianos propter nefanda & gravia crimina morte punire. Chriſtianis licet ex mandato Magiſtratûs arma gerere, & in bello ſervire.

Objicitur, 1. *Regem* Joſaphat *ingenuè faſſum eſſe, ſe non habere primatum Eccleſiæ, ſed ſacerdotes*, 2 Paralip. 19. 11. *Amarias ſacerdos &*

Ponti-

Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit.

2. *Sacras literas teſtari, regimen Eccleſiæ eſſe penes Epiſcopos & Presbyteros,* Act. 20. 28. 1 Tim. 5. 17. Heb. 13. 17.

3. *Apoſtolos Eccleſiam gubernâſſe,* Act. 20. 28. *de controverſiis religionis ſententiam dixiſſe.* Act. 15. 6. *& in delinquentes pœnis juſtis animadvertiſſe,* Act. 5. 3. *& proinde ad Miniſtros, non ad Regiam Majeſtatem, in hoc Regno Angliæ, Eccleſiæ gubernationem de jure pertinere.*

4. *Chriſto datam fuiſſe omnem poteſtatem in cœlo & in terrâ,* Mat. 28. 18. *quo ſignificatur ſpirituale & terrenum regnum; Chriſtum verò utriuſque claves Petro dediſſe,* Mat. 16. 19. *Petrum autem, authoritatem ſuam Epiſcopo Romano dediſſe, & proinde Epiſcopo huic, ſicuti in aliis, ſic etiam in hoc Angliæ Regno debitam eſſe juriſdictionem.*

5. *Regem* Joannem *Regionem hanc feudatariam Pontifici ſummo feciſſe.*

6. *Con-*

6. *Contra ultimam Articuli partem objicitur; furtum esse grave crimen, & tamen suspendium furum adversari legi divinæ; ut quæ in quadrupli aut quintupli restitutione acquiescat*, Exod, 22. 1. 2.

7. *Supplicium capitale facinorosorum pugnare cum lege charitatis Novo Testamento propriæ; Novum enim Testamentum, cum sit tempus gratiæ, vindictam & pœnas graviores non admittere.*

8. *Jehovæ mandatum serium esse, ne sanguis humanus effundatur*, Gen. 9. 6. *Bella autem sine sanguinis effusione non posse geri.*

9. *Christi mandatum esse, Ne resistamus malo; sed percutienti dexteram maxillam, obvertendam esse sinistram*, Matth. 5. 39.

10. *Pereundum illi esse gladio, qui gladium acceperit*, Matth. 26. 52.

11. *Arma Christianorum non esse carnalia, sed spiritualia*, 2 Cor. 10. 4.

Resp.

Resp. 1. In divinis interpretandis & administrandis, summus erat Pontifex; attamen quoad regimen externum, erat regi subordinatus.

2. Ecclesiæ regimen erat penes Episcopos & Presbyteros, quia alios duces & vigiles animarum, Ecclesia tunc nullos habebat; non tamen excludit verbum Dei alios Evangelii nutritios, pios principes, quos Ecclesia duces ad pietatem aliquando habitura erat.

3. Apostolii ministri erant extraordinarii; & status Ecclesiæ primævus, in quo Principes Christiani non erant, in consequentiam non trahendus est.

4. Quidam locum citatum de spirituali potestate interpretantur, ac si Christus dixisset, Sicut in cœlo sum rex Beatorum & Angelorum; ita per fidem regno in cordibus hominum. Alii sic intelligunt potentiam summam Christo Mediatori datam esse in omnes creaturas, quæ nudo homini communicari non potuit; nullo

nullo tamen ex his ſenſu dedit Petro ſummam Chriſtus pôteſtatem; dedit illi tantùm partem miniſterii Eccleſiaſtici; & claves pari jure commiſſæ erant reliquis Apoſtolis, *Matth.* 18. 18. denique licet Petrus talem habuiſſet poteſtatem, è Scripturis tamen evinci non poteſt, Pontificem Romanum, tanquam illius ſucceſſorem, talem poteſtatem habere.

5. Rex *Joannes* præ metu, & invitus, fecit Angliam pontifici feudatariam; & quia erat in damnum regni & ſucceſſorum ejus, Henricus filius ejus atque ordines Patriæ huic donationi reclamârunt; imò & armis ſe à temporali jurisdictione Papæ defenſuros, proteſtabantur; veluti conſtat ex Annalibus Anglicis.

6. Quidam reſpondent, illam legem de furibus pœnâ capitali non afficiendis, fuiſſe politicam, ad Judæos tantum pertinentem, & nullibi in Novo Teſtamento iteratam

&

& confirmatam fuiſſe; deinde, dicunt creſcentibus delictis exaſperandas eſſe pœnas, & probant ex Proverbiorum cap. 6. 31. exaggeratam fuiſſe pœnam furti ad ſeptuplum, atque aſſerunt illud ex ſecundo Samuelis, cap. 12. 5. de fure à Davide morti adjudicato. Affirmant legem Moſis non impedire, quin pœnâ capitali in fures animadvertatur; imprimis, ſi illud capitale ſupplicium ſancitum ſit publicâ lege omnium conſenſu approbatâ; ejuſmodi enim leges in rebus non adverſantibus pietati, quàm proximè accedere ad leges divinas, *Rom.* 12. 1, 2, &c. & ſi fures non ſint homines languidi, ad laborandum non apti, & à pauperum curatoribus non neglecti; nam horum habenda eſt ratio, qui egeſtate extremâ ad furandum compulſi fuerunt, *Prov.* 6. 3. præterea, ſi furta lenioribus & levioribus pœnis corrigi non poſſint; vel denique, ſi id quod furto ablatum, ſit damno inſigni, cui ablatum eſt.

7. In

7. In veteri Teſtamento animadvertebatur pœnâ capitali in facinoroſis, non obſtante lege charitatis, quæ non minùs in veteri quàm in Novo Teſtamento præcepta fuit: gratia autem in Novo Teſtamento, timori ſervili & rigori legis Moſaicæ reſpectu ſalutis opponitur; non autem capitalibus pœnis à Magiſtratu infligendis.

8. Cædes privata, non publica prohibetur.

9. Chriſtus hîc docet ſummam patientiam, ut illatam injuriam non violenter repellamus; ſed potiùs repetitam patienter feramus, quàm maleficiis certemus & de vindicta privata cogitemus; præſertim, quando charitas proximi, converſio infidelium, & Dei gloria, illud exigent; hoc maximè pertinere videtur ad Chriſtianos tempore publicæ perſecutionis, qualis erat penè continua in Primitiva Eccleſia: Nos tamen hîc non vetamur injuriam declinare cum moderamine inculpatæ tutelæ; nec publi-

publica Magiſtratibus prohibetur vindicta; aliter enim malorum acueretur malitia, & Reſpublicæ nunquam forent tranquillæ.

10. Hîc agitur de illo, qui gladium acceperit privatâ authoritate; non de Magiſtratu, qui Miniſter Dei eſt, gladio armatus, *Rom.* 13, 1, 2, 3.

11. Ibi agitur de mediis, quibus uti ſolebant Apoſtoli in plantando & promovendo Evangelio; talia non erant, quibus homines affectibus carnis dediti uti aſſolent, ut doctrinæ ſuæ concilient anthoritatem; cujuſmodi ſunt humana ſcientia, adulatio & vis externa; ſed doctrinæ veritas & efficacia; atque hinc confici non poteſt, bellum juſtis de cauſis non poſſe geri.

ARTI-

ARTICUL. 38.

De Christianorum bonis, quæ communia non sunt.

DIvitiæ & bona Christianorum; non sunt communia quoad jus, titulum, & possessionem eorum (ut quidam Anabaptistæ falsò jactant) debet tamen quisque pro facultatum ratione pauperibus Eleemosynas benignè distribuere.

Objicitur, 1. *Bonum quò communius, eò esse melius; proinde melius fore, si bona Christianorum essent communia.*

2. *Amicorum omnia esse communia.*

3. *Apostolos & Christianos in primitiva Ecclesia, habuisse omnia communia*, Act. 2. 44.

Resp. 1. Melius erit aliis, si bona fuerint communia; non illi verò cujus bona sunt, & qui benè erogare non potest; quique etiam ex ordi-

ordine charitatis ſibi-ipſi primò providere tenętur, & qui moderatâ divitiarum pro facultate erogatione ſalutem conſequi poteſt.

2. Illud axioma verum eſt in iis, quæ honeſtè & ſine damno alicujus communicari poſſunt; communicatione voluntariâ, non civili & neceſſariâ; quoad uſum temporalem, non quoad perpetuam poſſeſſionem.

3. Illa bonorum à primis Chriſtianis communicatio, non ab Apoſtolo fuit præcepta; ſed liberè à ditioribus ſuſcepta; nec ibi negatur proprietas, ſed animi affectus exprimitur, quòd nimirùm voluntate omnia habuerint communia, neque omnes bona vendiderunt; ſunt enim exempla eorum, qui ſibi ſua ſervârunt, & hoc licuiſſe, teſtabatur Petrus, *Act.* 5. 4. qui etiam poſt vocationem habuit domum, in quam Chriſtus intravit, *Matth.* 8. 14. Zacchæus etiam poſt converſionem partem divitiarum ſibi reſervavit, factâ reſtitutione & liberali Eleemoſynâ,

Luc.

Luc. 19. 8. fecit ergo quisque pro suò arbitrio, & quantum necessitas communis postulabat; locus itaque citatus non facit pro iis qui omnia habent confusè communia.

ARTICUL. 39.

De Christiani juramento.

QUemadmodùm juramentum vanum & temerarium à Domino Jesu Christo & Apostolo ejus Jacobo Christianis hominibus interdictum esse fatemur; ità Christianam religionem minimè prohibere judicamus, quin postulante Magistratu, in Causa Fidei & Charitatis, jurare liceat; modò id fiat juxta Prophetæ doctrinam in justitia, judicio & veritate.

Objicitur, 1. *Christi disertum monitum esse*, Matth. 5. 34. *Ne juretis omninò*; *Et Divi* Jacobi *cap.* 5. 12. *hortationem esse*, *Ante omnia*, *fra-*

fratres, ne jurate, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud ullum jusjurandum.

2. *In lege Mosaicâ licitum fuisse quavis de causa jurare, modò abesset mendacium; liquere hoc ex vocabulo Hebræo* שוא Shav, *quod tantundem est, atque falso & mendaciter, non autem sine causa jurare,* Exod. 25. 1. Deut. 5. 20. *Christum eapropter, quando dixit, Ne juretis omninò, legem perfeciisse & adnuxisse.*

Resp. 1. Christus atque *Jacobus* temeraria & non necessaria juramenta, veluti habetur in Articulo, solummodò damnant; deinde, Christi interdictum restrictè intelligendum est de omnibus illis juramentis, quorum permissione Pharisæi seducebant populum; docebant enim Pharisæi licuisse quavis de causa jurare, modò verum esset juramentum; quinimò addebant concessum fuisse jurare per cœlum, terram, Hierosolymam, & quamvis aliam creaturam, nec committi perjurium, nisi ubi

ubi diſerta nominis Dei mentio fieret, aut donorum Deo oblatorum; his enim interpretationibus adulterâſſe Phariſæos legem Dei de juramentis, non negabit qui mediocri diligentiâ expendere vo'uerit, quæ Chriſtus contra juramenta Phariſæis permiſſa diſputat, *Matth.* 23. 16, 17, &c.

2. Deus per Moſen jubet, *Exod.* 20. 7. ne nomen Dei in vanum ac leviter leves; hinc colligi levia juramenta ſerio prohiberi; nullo ſucceſſu opponitur nobis vox Hebrææ שוא *Shav*, quippe quæ non tantùm notat id quod falſum eſt, & doloſum; ſed etiam quicquid vanum eſt, & leve, ut videre eſt, *Mal.* 3. 14. *Jer.* 4. 30. & *Pſal.* 127. 2.

Soli ſapienti Deo laus & gloria.

FINIS.

ARTICULI LAMBETHANI:

Id est,

I. *Articulorum* Lambethæ *exhibitorum* Historia.

II. *Articuli de* Prædestinatione, *& annexis capitibus à* D. Whitakero Lambethæ *propositi.*

III. *Iidem prout ab* Episcopis Theologísque *concepti & admissi.*

IV. Lanceloti Andrewes τῦ πάνυ Wintoniensis Episcopi, *de* Synodo *oblatis Articulis* Judicium; *unà cum ejusdem* Censurâ Censuræ D. Barreti, *de* Certitudine *salutis.*

Quibus annexa est

V. Sententia D. Overal Theologiæ in Academia Cantabrigiensi Professoris *olim* Regii, de Prædestinatione καὶ τῆς ἐχομένης.

Juxta exemplar *Londini* editum curâ F. G. Ecclesiæ Stⁱ *Nicholai* apud Trinobantes Ministri *A. D.* 16;1.

CANTABRIGIÆ,

Ex Officina *Johann. Hayes,* Celeberrimæ *Academiæ* Typographi. 1634.

Impensis *Hen. Dickinson,* Bibliopolæ *Cantab.*

Imprimatur,

Geo. Oxenden Procan.

Jo. Mountagu.

Jo. Beaumont.

Fa. Johnson.

Articulorum Lambethæ *exhibitorum* Historia.

IN *Academiâ Cantabrigiensi* illustria sunt duo *Munera Theologica*, Alterum vocatur *Regium*, *Henricum* 8 Autorem præferens: Alterum à *Margaretâ*, matre *Henrici* 7 institutum, ab ejus nomine appellatur.

Accidit, ut eodem tempore Theologiam docerent in *Regio Whitakerus*, & in *D. Margaretâ*, *Petrus Baro*. *Whitakerus*, vir rarâ eruditionis (ac proinde magnum allaturus momentum, quocunque se tulisset) diu in Patrum lectione versatus, tandem, seu quia affinitate delapsus erat [a] in Familiam *Genevensibus*

[a] *Prima ejus uxor fuit* D. Cul erwelli *filia, mercatoris* Burdigalensis, *sed* Angli & Londinensis. *Secunda fuit* D. Fenneri *relicta, illius* Fenneri *qui tam atrociter debacchatus est in* Statum Ecclesiasticum Anglicanum & *professione* Ministerii *propterea abiit.*

Magistr's addictiorem, sive aliâ quacunque de caussa, totum se istis partibus dedit.

Atque inter alias sententias quæ *Calvini* & *Bezæ* autoritate maximè nituntur, urgere cœpit dogma *Absolutæ Prædestinationis*; tale scil. quod majorem hominum partem à *Christi* redemptione & gratia sufficienti ex intentione *Dei* & *Christi* penitus excludit. Et quasi parum cruda esset hæc sententia, si in *Massa corrupta* consideratione consisteret, ipse ad *Massam incorruptam* voluit assurgere, *Augustinum* culpans hoc nomine quod dixisset: *Prædestinationis causam quæri & non inveniri: Reprobationis verò caussam quæri & inveniri.* Reprobationem verò hanc factam in *massâ nondum corruptâ* dicebat *Whitakerus* non esse purè negativam sed affirmationem includere. Hoc enim esse *decretum* & voluntatem *Dei*, quo homines tam multi in exitium ruant æternum.

At *Petrus Baro*, forsan & antè re perpensâ, certè istis *Whitakeri paradoxis* incitatus ut in omne hoc argumentum diligentiùs inquireret, inter opiniones diversissimas, nullam putavit esse probabiliorem eâ, quam in *Germania Melanchton*, in *Dania Hemmingius*, in *Frisia Snecanus* defenderunt: scil. *fidei præscientiam* ordine statuit priorem *Prædestinatione*, quomodo sensisse ac docuisse *Patres* veteres ante *Augustinum*, ipsumque adeò *Augustinum* priusquam cum *Pelagio* contenderet, testes faciebat ipsos *Patres & Bezam* idipsum confitentem.

Prædestinationis controversiam sequebantur aliæ duæ (si tamen duæ dicendæ sint, cum altera alteram post se necessario trahat) 1. de *amissione gratiæ* 2. de *certitudine ac securitate salutis*. *Amitti* interdum *fidem & gratiam justificantem* statuebat *Baro* negante *Whitakero*. *Certitudinem* ponebat *spei* ille, hic *fidei*, & *absolutam* non *conditionatam*.

Aperuit autem hanc suam sententiam *Baro* tum præcipuè, cùm *Jonam Prophetam* interpretaretur.

Cum *Professorum* disputatio (ut fit) juventutem diu in partes traxisset, *Whitakerus* tandem *Londinum* profectus, *Whitgiftum Archiepiscopum Cantuariensem* adit: Monet concuti *Pelagiano* dogmate *Academiam*, & ni maturè obviam eatur, apertum dissidium, nec præsentius ullum remedium, quàm ut *Theses* 9, quas ipse conceperat, *Antistitum* aliquot judicio comprobatæ *Cantabrigiam* mitterentur.

Ità autem erant conscriptæ *Theses*, ut prudentiam viri facile agnosceres verborum tenore exquisito, qui posset etiam à non mediocriter dissidentibus, pacis studio approbari, ab ipso autem facillimè postea ad suæ sententiæ confirmationem traheretur. Fit conventus *Antistitum, & Theologorum* haud magno numero, *Mense Novembri An. Dom.* 1595. & cùm in tam perplexo argumen-

gumento non eadem omnibus placerent, disputatur aliquandiu. Ultimo forte die aberant unus & alter, qui à *Whitakeri* sententiâ longissimè dissidebant; Ità prævaluere alii. Et *Whitgiftus* princeps ejus conventûs, etsi *Whitakeri* dogmata minimè probabat, facilitate tamen & meum discordiæ, cùm suam probare alium non posset, factus est ipse alienæ sententiæ accessio. Non tamen eisdem verbis probatæ *Whitakeri* assertiones, quibus ipse proposuit, sed ità muratæ voces quædam & phrases, ut dissidentis ab ipso judicii magnâ vestigia appareant.

Transmissæ *Cantabrigiam* hæ *Theses* & *Whitakerus* victorem se ferens, partâ facilè sine adversario palmâ, intimum *Reginæ Concilius* & auctoritatis in *Regno* primariæ Virum, cui & in *Academiam* peculiaris competebat inspectio, convenit, atque ei, quid in *Conventu* gestum sit, narrat, ipsasque *Theses*, ità ut ab *Episcopis* probatæ erant, ostendit.

[1] *D. Burl. Acad. Cant. Cancell.*

At magnus ille vir (quâ erat prudentiâ) facilè intelligens, periculosus esse definitiones in controversiis adeò decertatis, vehementer factum hoc omne improbavit; Dixitque effecturum se ut ejus autores consilii sui penitèret. Nec fefellit promissi fidem. *Reginam* quippe convenit, ac gravi oratione demonstrat; In his quæ ad *statum religionis* pertinent, per *Angliæ* leges neminem posse nisi ex autoritate *Reginæ*, & quidem accedente *Parliamenti* consensu, quicquam decernere: Neque id frustrà institutum. Magnum enim esse in animos humanos regnum *Religionis*, & facillimè eo obtentu in partes iri & factiones. At nunc paucos *Theologos* ausos decreta facere de gravissimis quæstionibus, super quibus multis jam à seculis inter eruditissima ingenia convenire nunquam potuerit. Neque obscurum quo tenderent qui hoc impetrâssent: nam eos ità existimare atque docere; *Quicquid gereretur rerum*

rum humanarum, bonum id malúmve esset, id omne constringi lege immutabilis decreti; ipsis quoque hominum voluntatibus hanc impositam necessitatem, ut aliter quàm vellent homines velle non possent. Quæ si vera (inquit) sunt, *Domina Augustissima*, frustrà ego aliíque fideles *Majestatis tuæ* Ministri, quid in re quaque opus sit facto, quid ex usu futurum sit & *Regni* & tuo, suspensa diu consilia versamus, cùm de his quæ eveniunt necessariò stulta sit planè omnis consultatio. *Regina* & ipsa commota, *Archiepiscopum* acciri jubet & (ut erat citra *Majestatis* dispendium festiva) Magnas (inquit) te opes congerere audio (*Whitgifte*) & vis me ut opinor, divitem facere. Ille quid sibi vellet sermo tam inopinatus non satìs intelligens, Opes (inquit) sunt non nímis magnæ, sed tamen quantæcunque sunt (*Domina*) tuas crede. Tu verò (inquit *Regina*) officiosè te loqui existimas, at ego quod

offers jam meum esse *Regni* legibus contendo, incidisti enim in [a] *Præmunire*. Tum de assertionibus *Lambethanis* disserere incipit. *Archiepiscopus* jam tandem videns quò *Regina* tenderet, Non hanc (ait) suam *Collegarumque* mentem fuisse, ut quicquam sine publica autoritate decernerent, aut soli *Canones* facerent, sed pacis consilium à se *Professoribus* datum, nè privata certamina in malum publicum erumperent. Aderant *Reginæ Consiliarii* qui *Whitgiftum* urgent acriter; In ipso *Conventu* peccatum, quòd inconsultâ *Reginâ* indictus esset, & paci rectiùs consuli potuisse, si judicium sibi integrum servâssent *Antistites*. Et quorsum missas *Cantabrigiam Assertiones Episcoporum* nisi ut *Ca-*

[a] Est Præmunire lex *Angliæ* vetus, à Richardo, ut creditur, Secundo sancita, quæ vetat Ecclesiasticos homines plùs sibi autoritatis arrogare, quàm Regni moribus ipsis debeatur; hac additâ pœnâ, ut qui contrà faxit carceri mancipetur, quamdiu Principi placeat; bona Fisco addicantur.

noni-

nonis quandam præferrent speciem. Adeóne molestum semel convenire *Reginam* de negotio tot per dies disceptato? Deinde ad quæstionem de *Fato* prolabuntur, & *dogma* (ut ipsis videbatur) bonis moribus, *Reique publicæ* adversum graviter exagitant. Exitus hic fuit, ut facti inconsulti veniam precaretur *Archiepiscopus*, ac promitteret *Cantabrigiam* se scripturum, ut premerentur *Lambethanæ Assertiones*, ne quâ in publicam notitiam emanarent. Quod & præstitit. Sed multò pòst (ut videtur) repertum inter *Whitakeri* Schedas, aut alibi, exemplum effecit, ut autoribus invitis hoc opus prorumperet.

Post factas has *Assertiones Baro* & in *Professione* & in sententiâ mansit; *Whitakerus* vitâ ereptus est paucis pòst *Lambethanum Conventum* diebus. *Baro* deinde elapso Triennii spatio (*nam vetere instituto in illis* Lectura *triennalis est professio.*) *Professione* abiit, & in privata se studia recondidit.

Post

Post illos duos, inter quos contentio orta erat, *Professor Regius* factus est eruditissimus vir *Joannes Overal.* Is hanc secutus est dicendi rationem, quæ statuit, *Gratiam sufficientem offerri singulis hominibus, & Christum pro singulis mortuum: In omni bono priores esse gratiæ partes, posteriores Liberi Arbitrii à gratiâ informati; sed Gratiam operari modis inexplicabilibus, non tamen ad actus singulos naturalem immodum determinando: Gratiam verò justificantem, cum peccatis capitalibus ante ullam pœnitentiam non consistere.*

Ad *Prædestinationis* difficilem admodùm controversiam quod attinet, ità sibi temperabat, ut nec priorem, nec posteriorem *Augustini* sententiam damnaret; quippe quas judicaret ipse non admodum hostiliter inter se dissidere; præsertim cùm ipse *Augustinus* post ortum cum *Pelagio* certamen scripserit, Eadem se tunc credere quæ olim credidisset, cùm

cùm *Manichæos* oppugnaret, neque tam sententiam se nunc mutâsse, quàm loquendi genus.

Quid postea regnante *Illustriss. Jacobo Anno* 1603. in *Hamptoniensi Curiâ* actum sit, edito eâ de re *D. Barlovii* libello, palàm est. Namque ibi *D. Reynoldus* & qui cum ipso contra *Episcopos* constitere, inter cætera quæ ad puritatem *Ecclesiæ Anglicanæ* pertinere vehementer existimabant, & illud postulârunt, ut *Assertiones Lambethanæ Confessioni* insererentur. Minimè verò hoc impetrârunt, judicante *Rege*, Ejusmodi definitionibus parùm ad pacem profici.

Arti-

Articuli de Prædestinatione & annexis capitibus à *D. Whitakero Lambethæ* propositi.

I. *DEUS ab æterno prædestinavit quosdam ad vitam, & quosdam ad mortem reprobavit.*

II. *Causſa efficiens Prædestinationis non est prævisio fidei aut perseverantiæ, aut bonorum operum, aut ullius rei quæ insit personis prædestinatis, sed sola, absoluta & simplex voluntas Dei.*

III. *Prædestinatorum præfinitus & certus est numerus, qui nec*

nec augeri nec minui potest.

IV. Qui non sunt prædestinati ad salutem, necessariò propter peccata condemnabuntur.

V. Vera, viva & justificans fides, & spiritus Dei sanctificans non extinguitur, non excidit, non evanescit in iis qui semel ejus participes fuerunt, aut totaliter aut finaliter.

VI. Homo verè fidelis, id est, fide justificante præditus, certus est certitudine fidei, de remissione peccatorum suorum & salute sempiternâ suâ per Christum.

VII. Gratia sufficiens ad salutem non tribuitur, non communicatur, non conceditur universis hominibus, quâ servari possint, si velint.

VIII. Ne-

VIII. Nemo potest venire ad Christum nisi datum ei fuerit, & nisi pater eum traxerit: & omnes homines non trahuntur à patre ut veniant ad filium.

IX. Non est positum in arbitrio aut potestate uniuscujusque hominis servari.

Hæ omnes Propositiones aut apertè positæ sunt in Libro Articulorum, & semper in Ecclesiâ nostrâ approbatæ, fuerunt; aut ex Articulis necessariâ consecutione deduci possunt.

Arti-

Articuli Lambethæ *propositi prout à Cl. V. D. Whitakero in ipsius* autographo *concepti,* Episcopis *aliisq;* Theologis Lambethæ *proponebantur.*

Articuli *Lambetha propositi prout ab* Episcopis *reliquisque* Theologis *concepti sunt, & de sensu, quo admissi sunt.*

I.

D*Eus ab Æterno prædestinavit quosdam ad vitam, & quosdam ad mortem reprobavit.*

I.

ADmissus est hic Articulus totidem verbis. Nam si per primum (*quosdam*) intelligantur *Credentes*; per secundum (*quosdam*) *Incredulis,*

lis hìc non intenditur: sed est verissimus Articulus.

II.	II.
Caussa efficiens Prædestinationis non est prævisio *fidei, aut perseverantiæ, aut bonorum operum, aut ullius rei quæ insit personis prædestinatis, sed sola & absoluta & simplex voluntas Dei.*	Caussa movens aut efficiens Prædestinationis ad *vitam* non est *prævisio* fidei aut perseverantiæ, aut bonorum operum aut alîus rei, quæ insit personis prædestinatis; sed sola *voluntas Beneplaciti Dei.*

Additur in hoc secundo Articulo à *Lambethanis* 1° *Movens.* 2° *Ad vitam,* 3° mutatur [*sola absoluta & simplex voluntas Dei*] in [*sola voluntas Beneplaciti Dei;*] idque non sine justâ ratione. Caussa enim movens Prædestinationis ad *vitam,* non est *fides,* sed *Meritum Christi,* cùm *Deus* servandis salu-

tem

tem destinavit non propter *fidem*, sed propter *Christum*. *Meritis* vocabulum propriè *Merita* convenit: *Meritum* autem est in obedientiâ *Christi*, non in fide nostrâ. Additur [*ad vitam*;] quia licèt prædestinationis ad *mortem* causa sit *previsa* infidelitatis & impœnitentiæ, adeoque alicujus rei quæ inest personis prædestinatis ad *mortem*; tamen nulla est causa prædestinationis ad *vitam*, nisi sola *voluntas Beneplaciti Dei*; Juxta illud *Augustini*; *Prædestinationis causa quæritur & non invenitur*; *Reprobationis verò causa quæritur & invenitur*. [*Absoluta & simplex voluntas Dei*] majus quiddam dicit, quàm *sola voluntas Beneplaciti*. Nam & *conditionalis* voluntas est *Beneplaciti*, & vult *Deus* nos rectè facere, si nos velimus ejus gratiæ non deesse; & placuit *Deo* servare singulos homines, *si crederent*.

III. *Præ-*

III.

Prædestinatorum præfinitus & certus est numerus, qui nec augeri nec minui potest.

III.

In hoc Articulo nihil mutatur: verissimus enim est si de præscientia *Dei* intelligatur quæ nunquam fallitur. Non enim plures vel pauciores servantur quam *Deus* præscíverit.

IV.

Qui non sunt prædestinati ad salutem, necessariò propter peccata condemnabuntur.

IV.

In hoc Articulo nihil mutatur; verissimus enim est; quia statuit *Deus* non remittere peccata *nisi credentibus*. Quod si ita hanc *Thesin* & priorem interpreteris, ut & *peccata* & *damnationem* necessitate quâdam ex ipsâ prædestinatione deducas atque ex ea fluere existimes, aperte *Augustino*, *Prospero*, *Fulgentio* &c. contradicis,

&

& cum *Manichæis*, *Deum peccati auctorem necesse est facias.*

V.

Vera, viva & justificans fides & Spiritus Dei sanctificans non extinguitur, non excidit, non evanescit, in iis qui semel ejus participes *fuerunt, aut* totaliter *aut* finaliter.

V.

Vera, viva & justificans fides & spiritus *Dei* sanctificans non extinguitur, non excidit, non evanescit, in *electis* aut *totaliter*, aut *finaliter*. In *autographo Whitakeri* verba erant: [*in iis qui semel ejus participes fuerunt*] pro quibus à *Lambertianis* substituta sunt [*in electis*] sensu plane alio & ad mentem *Augustini*; cùm in *autographo* sint ad mentem *Calvini*. *Augustinus* enim opinatus est, *Veram fidem quæ per dilectionem operatur, per quam continuò adoptio, justificatio & sanctificatio, posse & interciди & amitti: fidem verò esse commune*

mune donum electis & reprobis, sed perseverantiam electis propriam. Calvinus autem, *Veram & justificantem fidem solis salvandis & electis contingere.* Et *CL. V. D. Overal* defendit & in *Academia* & in *Conventu Hamptoniensi, justificatum, si incidat in graviora peccata, antequam pœnitentiam agat, in statu esse damnationis*: ibíque contraria sententia quæ statuit, *Justificatum, etiamsi in peccata gravissima incidat, justificatum tamen manere, à Regiâ Majestate* damnata est: Ità in hoc Articulo nihil minùs quàm *Whitakeri sententia* probata est.

VI.

Homo verè fidelis, id est, fide justificante præditus, certus est certitudine fidei, de Remissione peccatorum.

VI.

Homo verè fidelis, id est, fide justificante præditus, certus est certitudine fidei, de Remissione peccatorum

peccatorum suorum & salute sempiternâ suâ per Christum.

torum suorum & salute sempiternâ suâ per *Christum*. Nihil hic mutatur, nisi quòd pro [*certitudine*] substituitur *vox græca* [*plerophoriâ*] Quidam autem ex *Theologis* voluerunt, pro *fidei plerophoriâ*, reponi *spei plerophoriam*: verùm eorum absentia cùm transigeretur negotium, effecit ut maneret vox *fidei* quam scripserat *Whitakerus*. Voce autem *plerophoriæ* usi sunt, quia non designat *plenam* & *absolutam certitudinem*, qualis est *scientiæ vel principiorum fidei*, (cùm fides sit talium rerum, quarum est evidentia vel certa scientia) sed minorem quendam certitudinis gradum, quippe cùm etiam in *judiciariis* & *forensibus probationibus* usurpetur.

Verissimus est hic articulus, si de *certitudine præsentis statûs* intelligatur; aut etiam *futuri*, sed *conditionatâ*. Credit enim fidelis *se credere*, & credit *credentem servatum*

iri;

iri; credit etiam perſeveraturum ſe; ſed non *unâ* omnino & *eâdem certitudine*: quia *certitudo* hæc *partim* nititur *Dei* promiſſionibus, qui nos tentari ultra vires non patitur; *partim* pii propoſiti ſinceritate, quâ pro tempore futuro nos *Deo* obedientiam præſtituros ſanctè in nos recipimus.

Alioqui ſi hic ſenſus affingitur aſſertioni; Hominem *certitudine* eâdem, quâ *Chriſtum* credit *mortuum* & eſſe *mundi Salvatorem*, credere debere, *ſe eſſe ſervandum*, ſive *Electum*, repugnaret hæc aſſertio *Confeſſioni Regis Edvardi*, in qua legitur; *Decretum Prædeſtinationis incognitum eſt*: & *Auguſtino*; *Prædeſtinatio apud nos, dum in præſentis vitæ periculis verſamur, incerta eſt. De Civit. Dei lib. 2. cap. 12.* & alibi; *Juſti, licèt de ſuæ perſeverantiæ præmio certi ſint, tamen de ipsâ perſeverantiâ reperiuntur incerti.*

VII. *Gra-*

VII.

Gratia ſuffici-
ens ad ſalutem *non tribuitur, non communicatur, non conceditur univer*ſis *hominibus, quâ* ſer*vari poſſint, ſi velint.*

VII.

Gratia *ſalutã*- non tribuitur, non communicatur, non concedi- tur univerſis ho- minibus, quâ ſer- vari poſſint, ſi ve- lint. Pro [*Gra- tiâ ſufficienti ad ſalutem*] quod erat in Whitake- ri *Autographo* ſubſtituerunt *Lam- bethani* [*Gratiam ſalutarem*] ut planè appareat loqui eos de eâ gra- tiâ, quæ eſt *actu ultimo ſalutaris* ſive *actu efficax*, ſeu quæ *per ſe* (non additâ novâ gratiâ) ſalutem opera- tur. Hæc quidem non conceditur, ſed nè offertur univerſis, cùm ſint plurimi (utpote *Pagani* &c.) qui- bus *Evangelium* nec internâ nec ex- ternâ voce prædicetur. Ergo illa verba [*quâ ſervari poſſint ſi velint*] intelligenda ſunt de *potentia proximâ*

& immediatâ. Nam ſi de *potentia remotiore* intellexiſſent, fruſtrà induxiſſent vocem *gratiæ ſufficientis*, quæ *ſufficiens* appellari ſolet, non quòd ſit *efficax*, vel *per ſe actu* operetur ſalutem, ſed quòd ſufficiens ſit ad ſalutem ducere, modò homo non ponat obicem. Et hæc *Auguſtini & Proſperi* fuit ſententia, qui *gratiam ſaltem parciorem, occultioremque omnibus datam* aiunt, & talem quidem quæ ad *remedium* ſufficeret. Unde *Fulgentius*: *Quòd non adjuvantur quidam à gratia Dei, in ipſis cauſſa eſt, non à Deo.*

VIII.

Nemo poteſt venire ad Chriſtum *niſi datum ei fuerit & niſi* Pater *traxerit: & omnes homines non trahuntur à* Patre *ut veniant ad* ſilium.

VIII.

In hoc Articulo nihil mutatum: non omnes trahuntur *tractu ultimo.* Sed qui negat omnes trahi *tractu remotiore* tollit *opitulationem* illam *generalem,*

lem, ſive *commune auxilium* quo omnium hominum corda pulſari dicit *Proſper*. *Tractum* autem *Theologi Lambethani* non intellexerunt (cum *Whitakero*) *determinationem phyſicam irreſiſtibilem*; ſed *divinam* operationem, (prout communiter in converſione hominis operatur) quæ naturam voluntatis liberam non tollit, ſed ad bonum ſpirituale idoneam primò facit, deinde & ipſam bonam facit.

IX.

Non eſt poſitum in arbitrio aut poteſtate uniuſcujuſque hominis ſervari.

IX.

In hoc quoque nihil mutatum: veriſſimum enim eſt, ſalutem noſtram eſſe *primariò* non in nobis, ſed à gratiâ *præveniente, excitante, concomitante* & *ſubſequente* in omni opere bono; *ſecundariò* ab *Arbitrio* & voluntate hominis *conſentiente* atque *acceptante*. Nulla poteſtas eſt

Arbitrii ad bonum *spirituale*, nisi gratia non modo tollat impedimenta, sed & vires suppeditet. Non est ergo positum in *Arbitrio primitus & potissimùm*; imo *nullo modo in Arbitrio* est positum, ut homo quilibet quolibet momento ad salutem possit pervenire. At verò esse aliquam aliquando in *Arbitrio* potestatem *Gratiæ subordinatam* & *gratiæ consentientem*, nemo inficias iverit, qui *Augustinum* audiverit: *Dum tempus est*, (inquit) *dum in nostrâ potestate est opera bona facere*: Et alibi, de pœnis *infernis* loquens; *Majus est* (inquit) *quod timere debes, & in potestate habes nè eveniat tibi.*

Reve-

Reverendiſſimi τῦ πάνυ doctiſſimique Patris Lanceloti Wintonienſis (*qui ipſe ejuſdem pars magna fuit*) *de* Synodo *oblatis à* D. Whitakero *Articulis* Judicium.

QUatuor priores *Articuli de Prædeſtinatione* ſunt & *Reprobatione*: Quarum illa ab *Apoſtolo* dicitur Ὦ βάθος! hæc à *Propheta*, *Abyſſus multa*. Rom. 11. 33. *Pſal.* 36. 6.

Ego certè (ingenuè fateor) ſequutus ſum *Auguſtini* conſilium: *Myſteria* hæc quæ aperire non poſſum, clauſa miratus ſum, & proinde, per hos 16 annos, ex quo *Preſbyter* ſum factus, me neque publicè neque privatim vel diſputâſſe de eis, vel pro *Concione* tractâſſe: Etiam nunc quoque malle de eis audire,

quàm dicere. Et quidem cùm *lubricus* locus ſit, & habeat utrinque perticuloſa *præcipitia*, cúmque loci *Paulini* (unde ferè erujitur) inter *δυσνόητα* illa (de quibus *Petrus*) ſemper ſint habiti: cúmque nec multi in *Clero* ſint, qui ea *dextrè* expedire, & perpauci in populo qui idonei illius auditores eſſe poſſint; ſuaderem, ſi fieri poſſit, ut indiceretur utrinque ſilentium; nec ità paſſim & *crudè* proponerentur à quibuſque ut aſſolet. Certè multò magis expedire arbitror, ut doceatur populus noſter ſalutem ſuam quærere in *manifeſtis*: vitæ ſanctæ & fideliter inſtitutæ (quod & *Petrus* ſuadet) quàm in *occultis* Conſilii *divini*: cujus curioſa nimis inſpectio *vertigines* & *ſcotomata* generare poteſt & ſolet; ædificationem certè in *anguſtis* ingenijs vix ſolet. Sed tamen rogatus *ſententiam* meam de his *Articulis*, idque à *Dominatione Tuâ* cui non parere *Religio* fuit, ſic paucis reſpondeo.

Ad

Ad 1. *quo asseritur* Prædestinatio.

Esse apud *Deum* in æterna illâ suâ (sive *præscientiâ* dicere libeat, sive) *scientiâ* quâ videt quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, *prædestinatos* quosdam, quosdam *reprobos*, extra *controversiam* esse arbitror. *Scripturæ* verba sunt, πρὸ καταβολῆς κόσμου *id est*, ab æterno scilicet elegisse *Deum* nos; & cum elegisset prædestinâsse, *Eph.* 1. 4, 5. Elegisse autem ἐκ τοῦ κόσμου *de mundo*, *Joa.* 15. 19. Quare non omnes in mundo elegisse, sed *quosdam*, Alioqui enim *Electio* non foret. Quos verò non elegit & eligendo approbavit (ut *electionis* natura fert) reprobâsse. Et *Scriptura* verbis utitur ἀπώθειν *rejiciendi Rom.* 11. 2. ἀποδοκιμάζειν, *reprobandi*, *Heb.* 12. 15.

Tantùm nè utrobique par ratio videatur, & eadem prædestinandi ratio, eadem reprobandi; si hoc

plenè non conſtet, cuperem addi; *Aliter prædeſtinatos illos*, nempe *per Chriſtum* Eph. 1.5. *Aliter hos reprobatos*, nempe *propter peccatum.*

Ad 2. quo Prædeſtinationis Cauſſa explicatur.

Veriſimum *Dei* per *Prophetam* verbum eſt: *Tantummodo in me auxilium tuum: id eſt*, nec à quoquam auxilium niſi à me, nec à me quicquam niſi auxilium: veriſſimum & *Apoſtoli. Quis diſcernit? id eſt*, à *Deo* ſolo habere nos quo à reliquis diſcernimur.

Sed tamen de particulâ illâ [*ſola voluntas Beneplaciti*] quæri poteſt,

Primò, includátne *Chriſtum*, an ſecludat: *id eſt*, ſine actus prædeſtinandi Actus *abſolutus*, an *relatus?*

Quod ad me, exiſtimo *relatum* eſſe: Nec ullam eſſe *Dei* εὐδοκίαν ἐν ἀνθρώποις, *id eſt*, voluntatem, quâ *beneplacitum* ſit ei in hominibus, niſi

in

in *filio* in quo εὐδόκησε, nec vel *ante* vel *sine intuitu Christi* prædestinari quenquam. Sed (ut habent *Sacræ Scripturæ*) *Christum* primò προεγνωσμένον *præscitum*, 1 Pet. 1. 2; deinde *in eo nos*, Rom. 8. 29. *Christum* primò ὁρισθέντα *prædestinatum*, Rom. 1. 4; deinde *per eum nos*, Eph. 1. 5. Non autem *priore* loco *Nos*, (uti nonnullis videtur) *posteriore Illum*, & *propter nos*. Neque enim prædestinari posse nos εἰς υἱοθεσίαν, *ad adoptionem filiorum*, nisi in *filio naturali*, neque prædestinari nos posse, ut conformes simus imagini filii, nisi filius primò statuatur, cujus imagini conformemur. Quare & huic quoque *Articulo* cuperem addi *Beneplacitum Dei in Christo*.

Deinde quæri potest *secundò*; Includát-ne *præscientiam Dei* voluntas hæc sola *Beneplaciti*, an excludat? Ego certè nullo modo existimo divellenda hæc, nempe *præscire* & *prædestinare*, sed (quod *Apostoli* faciunt) conjungenda. Neque

hìc verò audeo præcipitare ſententiam meam, aut damnare *Patres*, qui ferè omnes ſecundùm *præviſam fidem*, & eligi & prædeſtinari nos aſſerunt. Id quod vel *Beza* ipſe fatetur in 11 ad *Rom.* 2. *edit.* 2°. *Patres hìc nullo modo audiendi, quî ad prævisionem hoc referunt.* In quo tamen (ut mihi videri ſolet) potiùs de *ſerie* & *ordine*, quo utitur *Deus* in actu prædeſtinandi, loquuntur, quàm de *cauſſa* prædeſtitionis. Quam ſeriem alii aliter, ad ſuum quiſque captum, ſolent texere: *Patres* in eâ mihi ſententiâ videntur fuiſſe; *Electionem nullam fore niſi ità texatur*; *Deum primò diligere Chriſtum, dein nos in Chriſto*; quod *Apoſtolus* dicit; *Gratificare nos in dilecto*; (Eph. 1. 6.) 2° *gratificatos ſic, gratiâ donare & fide.* 3° *ſic donatos atque ità à reliquis diſcretos eligere.* 4° *Electos prædeſtinare.*

Certè *Electionis* hoc natura poſtulat, quæ nullâ omnino exiſtente diffe-

differentiâ inter eum qui eligitur & eum qui rejicitur, nec esse nec cogitari potest: sic *Oecumenius* ex *Græcorum* sententiâ, pag. 323. Εἰπὼν κατ' ἐκλογήν, ἔδειξεν ὅτι κὴ διέφερεν ἀλλήλων· οὐδεὶς γὰρ ἐκλέγεται ἕτερον ἀπ' ἑτέρου εἰ μή τι ἀπὸ διαλλάσσει. Sic *Augustinus ad Simpl.* l. 2. *Non tamen Electio præcedit justificationem* (scil. prævisam) *sed Electionem justificatio. Nemo enim eligitur nisi jam distans ab illo qui rejicitur: unde quod dictum est, Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dicendum nisi præscientiâ.*

Neque secus *Scholastici: Thom. Primâ Q.* 23. *Art.* 4. *Prædestinatio præsupponit Electionem, & Electio dilectionem.* Nempe primò fecit eligendos, dein elegit, Dilexit ut daret; Elegit quæ dedit. Nec alia mihi mens videtur *Reverendissimi Eboracensis*; sic enim ille. *Quid in Jacobo dilexit Deus ab æterno, cùm nihil boni fecisset? certè*

quod

quod ſuum, quod ipſe erat illi daturus.

Certè *Apoſtolus* ipſe non veretur in negotio hoc conjungere ἰδίαν πρόθεσιν & δοθεῖσαν χάριν; atque hoc πρὸ χρόνων αἰωνίων; cùm ſc. δοθεῖσα illa χάρις non niſi in *præſcientiâ* eſſe potuit, cum *æterno* ſcilicet *propoſito Dei*, ipſam quoque gratiam quam ſe daturum prævidit ante tempora *ſecularia*.

Neque incommodum indè ullum, (ut mihi videtur) ſi *Deus* ut *coronat* in nobis *dona ſua*, ſic *eligat* in nobis *dona ſua*; nempe quæ primò diligendo dedit, quo poſt ſic data eligeret. Atque ità cum *dilectio*, quæ eſt *Actus gratiæ*, quâ *Deus* diſcernit, tum *Electio*, quæ eſt Actus *judicii*, quâ ſic diſcretos ſeligit, utraque conſervantur. Atque hoc modo manebit *Electio*.

Recentiorum enim *ſeries illa* omnem planè *Electionem* tollit; quâ *Deus* ponitur homines nec in ullâ *Maſſâ* exiſtentes, nec ullo modo

per

per ſua dona diſcretos, *primo actu & eo abſoluto, ſimul & ſemel*, hos quidem addicere ſaluti, illos verò perditioni ſempiternæ: Poſt quam addictionem, quis *Electioni* locus eſſe poſſit non intelligo, aut quomodo illa ipſa addictio Electio dici poſſit.

Sed hæc tota Quæſtio (uti dixi) de *ordine* potiùs eſt, quo procedit *Deus* ad captum noſtrum, qui ex parte cognoſcimus, quàm de *cauſsâ* quoad *actum* ipſum, qui *unus* eſt in *Deo* & *ſimpliciſſimus*; vel ſi de *cauſsâ*, non de *primi actûs cauſsæ* intelligi debet, ſed de *cauſsâ quoad integrum effectum* (ut loquuntur) *in prædeſtinando*.

Quæritur ſitne *actus integralis* (conceptu noſtro) ex variis *actibus* conſtans, an *primus* ille *ſolus*? Et ſi plures & varii, quis *ordo* quæ *ſeries actuum*?

Prædeſtinatio *quæ ſine* præſcientiâ *non poteſt eſſe, non eſt niſi bonorum operum*. *Aug. de prædeſt. Sanctorum*

ctorum cap. 10. *Electi sunt ante mundi constitutionem, eâ prædestinatione in quâ Deus sua futura facta præscivit. Idem. ibid. cap.* 17.

An quisquam dicere audebit Deum non præscîsse, quibus esset daturus ut crederent? De bono perseverantiæ 14.

Ista igitur sua dona quibuscunque Deus donat, proculdubiò donaturum se esse præscivit, & in suâ præscientiâ præparavit, cap. 17.

Si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur à Deo; præsciuntur autem, fol. 23.

*Hæc igitur (*dona*) quæ poscit à Domino, & semper ex quo esse cœpit, Ecclesia poscit, ista Deus vocatis suis daturum se esse præscivit, ut in ipsa prædestinatione jam dederit. ib.*

Ad 3. *de Numero certo.*

Sunt ipsa *Augustini* verba initio *cap.* 3. *de Cor. & gra. Eorum qui prædestinati sunt, ità certus est numerus,*

merus, ut nec addatur iis quisquam, nec minuatur.

Et *Ambrosius de voc. l. 2. c. ult.* *De plenitudine membrorum corporis Christi præscientia Dei, quæ falli non potest, nihil prodidit, & nullo detrimento minui potest summa præcognita atque in Christo ante secula æterna præelecta: Certissimum enim est, scientiam Divinam Certissimam esse, nec falli posse: Novisse autem Dominum qui sunt ejus.*

Ad 4.

Qui non est inventus scriptus in libro vitæ (i. e. prædestinatus) *missus est in lacum ignis, Apoc. 20. v. ult. id est*, damnatus est. Damnatus autem proculdubio propter peccata sua. Quis enim hoc negabit?

Atque id *necessariò* (si sic loqui placeat;) sed *necessitate ex hypothesi*, non *absolutâ*. Id est (ut Articulus ipse se explicat,) propter peccata, ideóque quia peccârunt. Non autem ideo quia non sunt prædestinati. Quan-

Quanquam ego (quod & *Patres* & *Scholaſtici* ſedulò faciunt) terminis his [*neceſſitatis*] & [*neceſſariò*] abſtinendum cenſerem; Et pro iis [*certò*] vel [*ſine dubio*] ſubſtituenda: vitandas enim, quoad ejus fieri poteſt, καινοφωνίας.

Ad 5. de Amiſſione fidei & ſpiritûs.

Certè nemo unquam dixerit (credò) *Fidem in Electis finaliter excidere.* Illa verò non excidit. Sed *quod non excidat*, hoc habere exiſtimo à *naturâ ſubjecti ſui*, non *ſuâ*; ex *privilegio perſonæ*, non *rei*. Atque hoc propter *Apoſtatas*, quibus vitio dari non debet, quòd excidant à *fide* quæ *vera* & *viva* nunquam fuit.

An vero *Spiritus Sanctus* ad tempus *auferri* aut *extingui* poſſit, exiſtimo quæri adhuc poſſe; fateor hærere me.

De

De Fide.

Tu ſtas fide: noli altùm ſapere, ſed time: *alioquin excideris & tu*; quomodo non *irriſorium præceptum*, ſi non poſſit excidere?

1, *Cavete nè errore abducti excidatis propriâ firmitate* &c.

2: *Videte nè quis deficiat à gratia Dei. Excidiſtis gratiâ, qui in lege.* Gal. 5. 4.

3. *Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me.* Pſal. 51. 13.

4. *Spiritum nolite extinguere*; quomodo non *irriſoriæ* præceptiones & orationes hæ, ſi nullo modo *excidere* à firmitate *fidei*, aut *deficere à gratiâ* poſſimus, ſi nullo modo *Spiritus* aufcrri aut *extingui* poſſet?

Etſi non ſum neſcius & hoc ipſum [*Non poſſe amitti totaliter*] exponi poſſe ſic, ut *in totum prorſus* vel *penitus* amitti nequeat etſi *tota* amittatur, id eſt, ità amitti, ut non ſit locus revertendi unde exciderunt.

Ad

Ad 6. de Certudine ſalutis.

Exiſtimo quâ *certitudine* certus quis eſt, ſe verè *fidelem* eſſe, aut ſe *fide juſtificante* prædituin, eâdem certum eſſe de ſalute ſuâ per *Chriſtum*. Puto autem eam potiùs eſſe πληροφορίαν *ſpei* (de qua ad *Heb.* 6. 11.) quàm *fidei*: Et (ſi unâ voce exprimendum ſit) πεποίθησιν potiùs quàm πίστιν. Nos enim *eandem certitudinem* haberi poſſe de eis *Enuntiatis*, quæ *conditionem* in ſe continent, quam nos præſtare oportet ut veræ ſint, ut [*qui credit invocat*,] vel. [*ſi credas invoces*] quàm de iis quæ non ſunt *conditionatæ*, ſed merè *Categoricæ*, ut [*Deus eſt omnipotens*] ſed *minorem*; quæ tamen non hæſitet, ſed aſſenſum ſuum ad alteram partem *contradictionis* determinet.

Ad 7. de Collatione gratiæ.

Gratiam *ſalutarem* non exiſtimo *conferri* omnibus; ſed *offerri* tamen omni-

omnibus, hoc ipſo quòd *prævia* quædam ad eam *diſpoſitiones* non ſolùm *offerantur*, ſed etiam *conferantur* omnibus; quibus illi niſi deeſſent, ipſa quoque *ſalutaris gratia* illis conferretur. *Tribui*, *communicari*, *concedi*, ſi *relativæ* voces ſunt, & *acceptionem* implicent, verum eſt: ſed ſi *relationem* non includant, ſed ex parte *Dei* offerri; vel Deum paratum eſſe vel præſtò ut concedat ac communicet; ſic (exiſtimo) omnibus tribui.

Offerri itaque & præſtò eſſe *Deum* ut *conferatur*; per homines autem ipſos ſtare, quòd oblata non conferatur. Non enim *gratiam nobis*, ſed *nos illi* deeſſe,

Auguſt. de Gen. contra Manich. l. 3. *Iſtud lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit; ſed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum & temporalium, ſe ad ejus præcepta ſervanda convertunt. Quod omnes homines poſſunt ſi velint, quia illud lumen omnium hominum &c.* Ad

Ad 8.

Verè dicitur, *Neminem venire ad filium, niſi trahatur*: Et *Omnes non trahi ut veniant ad filium*, id eſt, *ità trahi ut veniant*: Sed & illud addendum: *Quod vel non trahantur omnes, vel non ſic trahantur, cauſſam eſſe diſſolutam ipſorum hominum voluntatem, non abſolutam voluntatem Dei.*

Ad 9.

Non eſt poſitum aut in *libero arbitrio* cujuſquam niſi per *filium liberato*; aut in poteſtate ullius, niſi datâ illi deſuper; ſervari.

Materia hujus litis futura eſt, Quiſque ut affectus eſt, útque animum habet, voculam aliquam pertrahet ad opinionem ſuam; ſi deſit, ſupplebit de ſenſu ſuo. Ego, quod ab initio ſuaſi, etiamnum ſuadeo, fidele utrinque ſilentium.

At-

Atque hæc de *Prædestinatione & Reprobatione.* Sed ità tamen, ut *sententiam* & hac in re & de ipsis *Articulis* méque ipsum per omnia *Gr. Pr. Censuræ* submissum velim.

Censuræ

Censura Censuræ D. Barreti de Certitudine salutis.

NEminem tantâ firmitate suffultum &c. ut de salute suâ debeat esse securus. Ità Dˢ Barret: Jubetur retractare sic; *Fide justificatos &c. debere de salute suâ certos esse & securos.*

1. *Certos* non debuit addi: Non enim negaverat ille, nec quisquam (credo) sani cerebri. Sanè retractare non debuit quod non asseruit, nec verbum interponi cujus in Articulo nulla mentio.

2. *Securum esse debere quemquam de salute* minùs commodè dictum. Certè verba illa *Concionatoris* censuram effugere poterant: Leviter enim immutata, verba sunt *Leonis*, sic enim ille; (Dicente namque *Paulo*: *Qui stat, videat nè cadat:*) *Nemo est tantâ*

tantâ firmitate ſuffulsus ut de ſtabilitate ſuâ debeat eſſe ſecurus. Ser. 5. de Quadr. Sanè parcendum fuerat, ſi non illi, ſaltèm *Leoni.*

1. Sententiam verò cur minùs probem faciunt hæc: Locus in Cenſurâ citatus nihil ad rem. Nempè *debere juſtificatos ſecuros eſſe.* Locus eſt, *Rom. 5. 1. Fide juſtificati pacem habemus, erga Deum.* Certè: *Pacato* igitur *animo* licet eſſe nobis, at non *ſecuro*; quippe nec pax ipſa ſecura eſt. Nam & nobis *prima* cura incumbit, pax hæc ut vera ſit: *Multi enim ſanant contritionem filiæ meæ dicentes, pax, pax & non eſt pax, dicit Deus, Jer. 6. 14. & Ezek. 13. 10.* Deinde ſi vera ſit, *ſecunda* cura incumbit, ne per violatas à nobis conditiones pacis, auferatur à nobis denuo, Deo ipſo dicente, *(Jer 16. 15.) Abſtuli pacem meam à populo iſto, nempe miſericordiam meam* &c.

Atque ſut ſecuris nobis eſſe non licet, quia pacem habemus; ità neque

que quia ſtamus in gratiâ, ſive per fidem. Stanti enim in gratiâ curandum quod dicit *Apoſtolus*, *Heb.* 12. 15. *Videte nè quis veſtrûm deficiat à Gratiâ Dei.*

Stanti autem per fidem, curandum quod idem dicit, *Rom.* 11. 20. *Tu fide*, ſive *per fidem ſtas*: *noli altùm ſapere, ſed time.* Et quod alibi, 1 *Cor.* 10. 12. *Qui ſtare ſe putat, videat nè cadat.* Quæ verba *Apoſtoli* ab *Auguſtino* & *Bernardo* uſurpantur contra ſecurinatem. *Aug. de bono perſever. cap.* 8. *Bern. Ser.* 1. *de Septuageſ.*

2. Sacræ literæ nuſquam *ſecuritatem* ſuadent, quin potiùs eam vocem malam in partem accipiunt: Quaſi enim ab eâ abſtinendum ſit, notantur ab *Apoſtolo*, qui eam uſurpant; *Cùm dicent homines, pax & ſecuritas, ſuperveniet iis repentinus interitus*, 1 *Theſ.* 5. 3. Quare tanquam mali ominis declinandam cenſeo.

3. Neque vocis ratio magis faver.

vet. *Securus* enim excludit *curam* & non hæsitationem tantum. Revera enim *curæ* opponitur *securitas*. Atqui jubemur à *Spiritu Sancto* omnem curam subinferre; & cupere se dicit *Apostolus* (*Heb.* 6. 11.) ut unusquisque nostrûm eandem solicitudinem ad finem usque ostendat.

4. Rei verò ipsi (nempe *securitati*) repugnare videtur conditio tum vitæ Christianæ, quæ *militia* est; tum vitæ humanæ, quæ *tentatio* est super terram: quarum neutra *securitatem* fert, quin perpetuam potiùs curam & solicitudinem, tum orandi, nè in tentationem inducamur, tum considerandi nos ipsos nè & nos tentemur: Idque etiam iis qui *spirituales* sunt, *Gal.* 6. 1.

5. Perpetuæ illæ *Christi* & *Apostolorum* voces, *Vigilate*, *Attendite*, *Cavete*, *Tentate vos*, *Probate vos* &c. excutiendæ *securitati* sunt omnes, non ingenerandæ. Quid enim aliud sonant voces hæ, quàm

nè ſitis *ſecuri*? Nec voces modò ſed etiam ſententiæ. *Paulus*: *Cum timore & tremore operamini ſalutem veſtram*, 2 Phil. 14. *Petrus*; *In timore incolatûs veſtri tempore converſamini*, 1 Pet. 1. 17. *Joannes*; *Tene quod habes, nè alius accipiat coronam tuam*, Apoc. 3. 20. Quæ omnes id agunt ut cum fide retineatur & timor, nè *certitudo* degeneret in *ſecuritatem*.

Certè *D. Petrus* cùm jubet, *Satagite ut certam reddatis electionem veſtram*, ut nos eniti vult ad certitudinem, ità ſtatuere videtur ſatagere quemque rerum ſuarum ut eò tandem perveniat: Quaſi is ſummus ſit gradus in vita hac, & ſatis ſit, imò præclarè nobiſcum actum ſit, ſi eò aſpirare liceat.

7. Neque verò quoad certitudinis gradum planè æquandus videtur præſentis vitæ ſtatus cum ſtatu futuræ, ſed diſtinctio aliqua retinenda, cùm ultra *ſecuritatem* nihil ſit. Quare ſit hoc ipſum [*ſecuritate frui*]

frui] peculiare iis qui defuncti jam sunt, & *Paulinum* illud *Apostoli* cantârunt; *Absorpta est mors in victoriam.* Nos verò hic in terris militantes, contenti certitudine, cedamus gradu hoc summo *securitatis*, & relinquamus eum *Ecclesiæ in cœlis triumphanti* quæ sola *secura* est.

8. Malè autem semper successit iis qui ità se *certos* autumabant ut etiam *securi* fuerint. *Davidi* suum *non movebor*, Psal. 30. 6. *Petro* suum *Etsi omnes, non ego.* Melius multò iis, qui ità *certi* ut tamen *solliciti*! *Jobo*? *Scio quod Redemptor meus vivit*, &c. cap. 19. 25. *Et, Hæc mihi spes reposita est in sinu meo*: Et, *Tamen verebar omnia opera mea*, c. 9. 28. *Paulo*; *Certus sum quod neque mors* &c. Rom. 8. 38. *Et, Tamen castigo corpus meum, nè quo modo cùm aliis prædicavero ipse, reprobus efficiar*, 1 Cor. 9. 27.

9. Tametsi quod affertur de *car-*

nali & spirituali securitate, frigidum planè sit, cùm pari ratione, & de præsumptione, & de superbiâ loqui liceat; nempe per *κατάχρησιν abusivè* scilicet; tamen etiamsi sic mollire liceat, etiam atque etiam videndum est, quid seculi nostri & populi indoles postulet istâ de re doceri; & an expediat, his præsertim moribus atque his temporibus, frigescenti hominum curæ atque conatui benè operandi, per istiusmodi *Theses* frigidam suffundere, & quasi *certitudo* parùm sit, *securitatem* inculcare: Cùm (ut rectè *Gregorius*) *Securitas sit mater negligentiæ*; cúmque non solùm ex trepidatione nimiâ (ut in *Cáino*) sed sæpè etiam (ut in *Simlo*) ex nimiâ spe desperatio.

10. Ultimò à recepto in *Ecclesiâ* loquendi genere, non censeo recedendum, qui ferè (cum *Leone* suprà citato) sentiunt; *Nec posse nos nec debere de salute securos esse.*

Au-

Augustinus, Consil. 10. c. 32. *Et nemo securus esse debet in ista vita, quæ tota tentatio nominatur, ut qui fieri potuerit ex deteriore melior, non sint etiam ex meliore deterior.*

De bono pers. c. 8. *Deus autem melius judicavit misereri quosdam non perseveraturos certo numero Sanctorum suorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione securitas, non possint esse securi.*

Ibid. c. 22. *Quoniam de vitâ æternâ, quam filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi cùm consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram; sed faciet nos perseverare in se usque in ejus vitæ finem, cui quotidie dicimus; Nè nos inferas in tentationem.* Sic concionari docet *Augustinus.*

Ep. 12. ad Prob. *Unde mirum videri potest, cùm sis secundùm hoc*

seculum, nobilis, dives, tantæ familiæ mater, & ideò licèt vidua, non tamen desolata, quomodo occupaverit cor tuum præcipuèque vendicaverit orandi cura. Nisi quia prudenter intelligis, quòd in hoc mundo & in hac vitâ nulla anima possit esse secura. Et paulò pòst: *Nam etsi sibi quisque, nemo alteri notus est; tamen nec sibi quisque ità notus est, ut sit de suâ crastinâ conversatione securus.*

Chrysostomus, In verba: *Si quomodo apprehendam: Dixi me in ipsum credidisse & potentiam resurrectionis ejus, & consortem passionum ejus factum esse, & conformatum morti ejus, verùntamen post ista omnia nondum securus sum.* Et paulò pòst *Hom. 7. in Ep. ad Philip. Si ergo qui tanta pessus est, si qui persecutionem tulit, si qui mortificationem habebat nondum securus fuit, quid dicemur nos?*

Ambrosius in Psal 37. Nisi fortè sic intelligamus; Quòd etsi innocens

cens quisque sit, tamen securus esse non possit, cui sunt adversùs gravissimos hostes quotidiana certamina.

Hilarius in Psal. 137. *Nullum diem justus quisque sine metu transigit: neque anxia semper erga se fides securi temporis otium recipit; scit enim omnes dies insidiarum sibi plenos &c.*

Gregorius epist. 186. *ad Gregoriam. Inutilem rem postulâsti, quia secura de peccatis fieri non debes, nisi cùm jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minimè valebis.*

Bernardus epist. 107. *ad Thom. Beverl: De quâ tamen perceptâ jam tuimet ex parte notitiâ, interim gloriemur quidem in spe, nondum tamen in securitate.* Bernardo enim securitas in excessu est, & opponitur timori in defectu. *Vide Ser. in Cantic.* 11.

Fideles de Prædestinatione Perseverantiáque suâ incertos esse per omnem vitam, probat *Augustinus.*

In de Corrept : & gratiâ cap. 13. initio ferè.

Contra Articulos sibi falsò impositos Artic. 12.

In Epistola 07.

In de Bono perseverantiæ cap. 13. haud longè ab initio.

In de Civitate Dei, lib. 11. *c.* 12.

Senten-

Sententia Ecclesiæ Anglicanæ De Prædestinatione & tois ἐχομένοις, per Doctorem Overallum, Theologiæ Cantabrigiæ Professorem exposita.

Cap. I.

De Prædestinatione.

HAEC sententia *Confessionis* nostræ *Anglicanæ* Articulo decimo septimo patet. "Æternum præ-"destinationis propositum de electis "in Christo servandis ità docen-

" dum esse, ut interim promissiones
" divinas sic amplectamur, quem-
" admodum nobis in sacris literis
" generaliter sunt propositæ, & e-
" am Dei voluntatem sequamur,
" quam habemus in Dei verbo di-
" sertè revelatam:] quibuscum me-
dia necessaria & efficientia tam in-
ternæ gratiæ, quam externi verbi
ad promissiones *Dei* accep andas &
voluntatem faciendam annexa intel-
liguntur ex vi fœderis *Evangelici*,
quod spiritus, non literæ nudæ
ministerium est juxta illud *Leonis*:
*Qui instat præcepto, præcurrit au-
xilio*; Unde sub generali promissi-
one & præcepto tuto quisque po-
test indubiâ fide se includere, &
cum certâ spe ac fiduciâ ad thro-
num gratiæ accedere, vereque cog-
noscere, si non confidat *Deo* pro-
mittenti ac mandanti obsequatur,
suam culpam esse, non *Dei*, idque
per negligentiam suam, non gratiæ
divinæ defectum accidere, ne inci-
dat in illud *Salomonis Prov.* 19. 3.

Stul-

Stultitia hominis pervertit viam ejus, & contra Deum indignatur in corde suo. Quod *Augustinus* sæpe commemoravit in eam sententiam. Sic ergò promissis præceptisque divinis in sua justâ generalitate, tum debitis sibi mediis auxiliisque suppositis, conjungendum cum iisdem Articulus noster judicavit æternum illud *Dei* Propositum de his quos in *Christo* elegit liberandis & salvandis, ut ità principium salutis nostræ ab æterno divinæ electionis constante proposito, non temporali humanæ electionis incertâ lubricitate petatur, & gratia Liberi Arbitrii *dux* non *pedisequa* fiat, & vis omnis atque virtus, tam *pii affectûs* quàm *boni operis*, tam *fidei* quàm *perseverantiæ* non ab humanæ voluntatis liberæ incertâ cooperatione, sed divinæ gratiæ efficacitate proficiscatur ut totum *Deo* detur, & omnis qui gloriatur in *Domino* glorietur.

Istis utrinque constitutis *Ordo* divi-

divinæ Prædestinationis nostræ in Articulo 17° iste videtur intentus; *Deum* præscium lapsûs generis humani ad remedium ejusdem ex suâ misericordiâ filium mittendum decrevisse, in eoque salutis conditionem statuisse; tum ad eam in animis hominum producendam necessaria & sufficientia media & auxilia omnibus generatim secundùm *magis* & *minùs* ordinâsse, quæ magis speciatim his quos in *Christo* elegit ex reliquo hominum genere, majoris & abundantioris gratiæ largitate, pro suo beneplacito, cumularet, quibus hi ad fidem perseverantiam & æternam salutem certissimè perducantur, & reliqui nihil habeant quod conquerantur, & ostendatur quid possit tum liberum hominis arbitrium sub gratiæ communis & sufficientis auxiliis sibi relictum, tùm specialis & efficacis gratiæ beneficium, his quibus *Deo* placuerit impensum; Ità non tantùm de primo homine, sed reli-

reliquis etiam consequentibus vera est sententia *Augustini: Sic Deus Dominúsque omnium ordinavit angelorum hominúmque vitam, ut in ea primùm ostenderet quid posset liberum eorum arbitrium; deinde quid suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.* Sic *Deus servator est omnium hominum, sed maximè fidelium,* 1 Tim. 4. 10. quâ sententiâ *Apostolicâ* totam hanc causſam *Prosper.* terminandam judicavit.

CAP.

CAP. II.

De morte Christi.

DE morte *Christi* tam plana est & ubique sibi constans *Ecclesiæ* nostræ sententia, pro omnibus omnino hominibus, sive pro omnibus omnium hominum peccatis *Dominum* nostrum *Jesum Christum* mortuum esse, ut mirandum sit ullos ex nostris ausos esse id in controversiam vocare.

" Artic. secundo: *Christus* verè " passus est, crucifixus, mortuus & " sepultus, ut *Patrem* nobis re- " conciliaret, esséetque hostia non " tantum pro culpâ *Originis*, ve- " rùm etiam pro omnibus *actuali-* " *bus* hominum peccatis.

" Artic. 7° Tam in veteri quàm in " novo *Testamento per Christum*, " qui unicus est *Mediator Dei* & " homi-

"hominum, *Deus* & homo, æter-
"na vita humano generi est pro-
"posita.

"Artic. 15° *Christus* venit ut
"agnus absque macula, qui mundi
"peccata per immolationem sui se-
"mel factam tolleret.

"Artic. 31° Oblatio *Christi* se-
"mel facta perfecta est redem-
"ptio, propitiatio & satisfactio
"pro omnibus peccatis totius mun-
"di tam *originalibus* quàm *actua-*
"*libus.*

Idémque habetur & in *Catechis-mo* communi, ut sensus planissimus secundæ patris *Symboli* in qua unicuique credendum proponitur in *Deum filium*, qui se & totum genus humanum redemit, juxta *Symbolum Nicænum*, *Qui propter nos homines & nostram salutem descendit &c.* [Et in multis locis publicæ nostræ *Liturgiæ*; ut in *Consecratione Eucharistiæ Deus qui dedisti nobis unicum tuum filium Jesum Christum pro nostra redemp-*

tione

tione mortem in cruce pati, ibique unicâ oblatione quâ seſe semel obtulit perfectum, plenum & sufficiens sacrificium, hostiam & satisfactionem integram faceret pro peccatis totius mundi] Et singulis ministratur his verbis. *Corpus Domini nostri Jesu Christi pro te traditum; sanguis pro te fusus conservet animam tuam* &c. Igitur mors *Christi* in se spectata *sufficiens* est pretium pro omnibus hominibus, si fuisset pro omnibus data; sed scriptura simpliciter dicit; *Deum* dedisse filium pro mundo, & *conditionem* ponit non de *morte Christi*, sed de *fide hominis* & salute inde *conditionaliter* secuturâ; sic datum esse filium ut si homines in eum credant, serventur: sed sive credant, sive non credant, *Deus* dedit pro iis filium, & in eo sub *conditione fidei* salutem proposuit; ut autem hanc conditionem homines præstent, *Deus* & verbo præcipit, & facto per *Spiritûs Sancti* gratiam excitat

tat & adjuvat, ut in hominibus non in *Deo* causſa ſit, ſi non crediderint: ſicut contrà ſi crediderint, id divinæ gratiæ non humanæ virtuti tribuendum. Unde elucet divinæ voluntatis ac intentionis fuiſſe, ut *Chriſtus* pro omnibus moreretur, quamvis non omnes inde per ſuam incredulitatem & impœnitentiam fructum ſalutis percipiant. Sed ſunt etiam quidam effectus ejus qui ad omnes redundant, ut communis *vocatio*; non tantùm *externi verbi* ſed etiam *interna gratia* admonitiones & excitationes, & poſtremò *generalis* omnium *reſurrectio*. Nam ex eo quòd *Chriſtus* per ſuam mortem & reſurrectionem mortem vicit & reſurrexit, omnes ex morte reſurgent, ſicut ait *Apoſtolus*, 1. Cor. 15. 22. *ut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes reſurgent*. Eâdem ratione *Dominium* ſibi in omnes homines, quia pro omnibus mortuus eſt, *Chriſtus* acquiſivit, ut S. *Paulus*

lui ad Rom. 14. 9. & 2 Cor. 5. 14, 15. monstravit; Quæ loca cum pro omnibus simpliciter mortuum esse satis arguunt, ut ità tum generalis promissio salutis omnibus si crediderint, communisque gratiæ sufficientia, tum etiam specialis electionis propositum, gratiæque *perseveranter* efficacis, præscientia & præparatio in eodem *Christo*, ejusque morte ab æterno prævisa fundentur. Atque ex latere *Christi* in cruce morientis non tantùm *Sacramenta Ecclesiæ*, sed omnia etiam salutaria bona fluxisse intelligantur. Támque clara hæc sententia est in scripturis, ut *Calvinus*, qui alioqui rigidiorem de *prædestinatione* sententiam sequitur, eos ipsos locos quos alii ad minuendam *Christi* mortis amplitudinem arripuerant (in quibus dicitur, *mortuus pro multis*) ubique interpretetur de *omnibus*: Sic in 9 *ad Hebr.* 20. *Multos* dicit pro *omnibus*; sicut ad *Rom.* 5. 18, 19. *Certum*

tum quidem est non omnes ex morte Christi fructum percipere, sed hoc ideo fit, quia eos impedit sua incredulitas. Quæ verba satis clarè communi sententiæ favent. Itaque non est negandum ex nimis alto & rigido conceptu prædestinationis occultæ hoc quod tam clarum est, *Christum esse mortuum pro omnibus*, sed potiùs ex hoc tam aperto illud secretum ità explicandum, ut cum isto verè possit consistere, quod vulgato *Scholæ* dicto satis rectè traditum erat; *Christum pro omnibus mortuum esse sufficienter, pro electis Cri credentibus efficaciter*, nisi isti corrupissent exponentes per *hypothesin*; *Fuisset mors Christi sufficiens pro omnibus, si Deus & Christus ità intendissent.*

CAP.

Cap. III. & IV.

De libero Arbitrio & gratiæ cooperatione.

DE *libero Arbitrio* & *Gratiâ* brevis est *Ecclesiæ* nostræ *definitio* Articulo decimo proposita in his verbis: *Ea est hominis post lapsum Adæ conditio, ut sese* &c. In quibus verbis homini in *statu lapsûs* sive peccati tam vires quàm merita negantur ad bonum *spirituale, id est*, ad se convertendum vel præparandum ad fidem & invocationem *Dei* &c. Ubi nihilominus supponitur 1° hominem in *naturalibus* & *civilibus* liberum arbitrium habere, & vires suas naturales atque opera in eo genere bona, quibus tamen ad fidem & bonum spirituale se convertere & præparare non possit. 2° Necessitas *gratiæ* indicatur

dicatur ad pietatis opera facienda, quia absque gratiâ *Dei*, ad pietatis opera facienda nihil valemus; ubi item significatur, etiam ad opera pietatis facienda (gratiâ *Dei* suppositâ) nos aliquid posse & valere. 3° Unde detur & habeatur hæc gratia, *viz.* Gratia *Dei* quæ per *Christum* est. 4° Quomodo gratia operatur, *viz.* prævertendo nos ut velimus, & cooperando dum volumus. Prævenit autem nos gratia ut velimus, illuminando mentem & voluntatem inspirando, piásque cogitationes & bona desideria immittendo, & cor fidei affectionibus imbuendo. Ideo bonum opus non facimus, quia aut latet quod bonum est, aut non delectat, ut explicat *Augustinus*. *Ignorantia & infirmitas*, inquit, *vitia sunt quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad opus bonum faciendum aut abstinendum ab opere malo*, ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, Gratia Dei

est

est necessaria, quæ adjuvat hominum voluntates, quâ etiam ut non adjuventur in ipsis itidem caussa est; non in *Deo*. Cooperatur autem non tantùm concurrendo, sed etiam dirigendo & protegendo, corroborando & adjuvando: nam conatus nostri ad bonum *nulli* sunt, si non per gratiam *prævenientem* excitentur, & *cassi* sunt si non per gratiam *cooperantem* adjuventur, ut ait *Bernardus de gratia & lib. arbitrio*. In quo tamen utroque actu gratiæ, liberum arbitrium non tollitur, sed perficitur: nam ut aït idem Bernardus: *Epist. 46. ad Valentinum. Si non sit liberum arbitrium, non est quod salvetur; si non sit gratia, non est unde salvetur. Et Augustinus: Si non sit liberum arbitrium, quomodo Deus judicat mundum? si non sit gratia, quomodo salvat mundum?* Adde hìc illud *B. Prosperi lib. 1. c. 1. de vocatione Gentium. Si tollitur voluntas, ubi ipsa est origo verarum virtutum?*

tutum? si tollitur gratia, ubi est ipsa bonorum causa meritorum? In quibus omnibus de operatione gratiæ *irresistibilis* nullum verbum: nam quamvis gratia sæpissime *certè & infallibiliter* operetur, ubi operatur secundùm *propositum electionis æternæ*; certumque sit constare, *suppositâ præscientiâ & præparatione divinâ* finis propositi consequendi *Decretum*, tamen in his nec per *vim irresistibilem* operatur, sed salvâ sub gratiæ auxiliis *arbitrii* libertate; & in aliis plurimis, positâ gratiæ præventione, eventum habet suæ libertati permissum. Denique sic in *Articulis* nostris, multisque publicæ *Leiturgiæ* locis, Gratiæ necessitas astruitur, ut tamen sub gratia, voluntas libera relinquatur, sine quâ frustrà leges, præcepta, consultationes, conditiones, exhortationes, admonitiones, promissiones, comminationes, laudes & vituperia, præmia & pœnæ proponerentur, omnisque curæ & diligentiæ studii, consi-

consilii, & laboris ratio tolleretur. Ità nec *nihil* nec *minimum* libero arbitrio tribuetur, nec ex una parte, cum *gratiæ irresistibilis* defensoribus, *liberum arbitrium*, non modò *ante gratiam*, sed etiam *sub gratia* negabitur & evacuabitur; nec ex altera parte, *Gratiæ salutaris* efficacitas ab *arbitrii* virtute & *libertate* devorabitur; sed concesso *gratiæ divinæ* principatu, *humana voluntas* ut pedisequa, libera tamen pedisequa, liberéque gratiæ obsequens, adjungetur, per quam *Gratiæ prævenientis* monitionibus excitatam, & affectionibus præparatam & viribus roboratam & adjutam, homo & liberè & libenter *Deo* cooperetur, nè gratia *Dei* in vanum recipiatur.

CAP.

CAP. V.

De Perseverantia Credentium.

DE *perseverantiâ* sententia *Ecclesiæ* nostræ proponitur Articulo decimo sexto; *Posse homines post acceptum Spiritum Sanctum à gratiâ datâ recedere, atque peccare, denuóque per gratiam Dei resurgere ac resipiscere; ideóque illos damnandos esse, qui se, quandiu hìc vivunt, amplius non posse peccare affirmant, aut verè resipiscentibus veniæ locum denegant.*

Ubi primùm, *Peccatum* de quo hìc agitur, per quod à data gratiâ receditur, in principio Articuli nostri, *Mortale* peccatum voluntariè perpetratum dicitur; nam præcedens Articulus 15 de *quotidianis & communibus peccatis* tractat, quæ omnibus *regeneratis* communia sunt,

in quibus offendimus omnes, ſalvâ tamen gratiâ, nec ab ea recedentes. Hic autem 16 Articulus, De *peccato mortali*, per quod poſt *Baptiſmum* & *Spiritum Sanctum* acceptum, à gratiâ datâ recediturr, donec per pœnitentiam reſtitutio fiat. Ubi damnantur qui hoc peccatum non poſſe committi poſt acceptum *Spiritum Sanctum* affirmant, ut *Jovinianus*; aut pœnitentibus remittendum in *Eccleſia* negant, ut *Novatianus*. Sed nihil hìc de *totali* aut *finali* defectione à gratia explanatum eſt.

Sed in *Homiliis de Periculo defectionis à Deo*, quæ eodem tempore *Eccleſiis* noſtris in *Libro Homiliarum* præſcriptæ ſunt, ſatis ſignificatur; *Poſſe homines poſt gratiam acceptam deficere ab eadem & perire*; ideóque diligenter contra hanc defectionem excitantur & armantur; Et in *Adminiſtratione Baptiſmi* pro certo affirmatur, & pecca-

peccatum *Originale* infantibus baptizatis remitti & eos vere regeneratos esse, ex quibus tamen post multi prorsus deficient.

Verùm proximus Articulus 17 *Electos & prædestinatos* ab hoc periculo eximit, docens; *Deum constanter decrevisse eos liberare & salvare*, sed simul indicat; *Prædestinationem esse Decretum Consilii divini nobis occulti donec per fructus ejus annexâ serie conditas patefiat*; quod non statim in omnibus credentibus fit, ideóque non facilè de *Electione* præsumendum, nec *Prædestinationem* nisi piis conferendam, his solis qui verè pii sunt, & sentiunt in se vim *Spiritûs Sancti* facta carnis mortificantem, ut *Augustinus & Prosper* docent. Qui in charitate *radicati & confirmati* fuerint, cum vera consolatione possunt de *Electione* divina cogitare, fidénique de salute per *Chri-*

ſtum conſequendâ ſtabilem habere, juxta *definitionem* in *Gratiano & Lumbardo* ex Patribus collectam; *Intellectam charitatem eam eſſe quæ amittitur, non radicatam aut perfectam*, juxta illud *Apoſtoli*, *Perfecta Charitas foràs ejicit timorem*. Itaque ex una parte, nec omnibus etiam *verè regeneratis* ac credentibus *certa ſalus* addicenda, nec eiſdem omnibus, quantoſcunque in pietate & fide gradus fecerint, *incerta ſalus* relinquenda, ſed his qui ſolidè in fide & charitate radicati fuerint, ut *Electis & Prædeſtinatis*, certa *perſeverantiæ* fiducia & ſpes firma *ſalutis* tribuenda.

Certè ſententia illa, de qua tantopere pugnatur; *De certa perſeverantiâ eorum omnium qui ſemel crediderint ac regenerati fuerint*, nullis unquam *Veteris Eccleſiæ* Patribus probata fuerat, ſed ab omni *Antiquitate* rejecta, & perpetuâ omnium

omnium temporum experientiâ nimiùm refutata, & non nisi hoc ultimo seculo nata, & ex æmulatione, quæ *Zuinglio* sociisque ejus cum *Luthero* intercessit, in *Ecclesiam* introducta.

Hac D. Overal.

FINIS.